VITA M.NUELE

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
32 I
13

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

13-14. D. 5

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

CONSTITVTIONES
EDITAE
IN DIOECESANA
SYNODO BENEVENTANA
ANNO DOMINI M. D. XCIIII.

Ab Illuſtriſs.^{mo} & Reuerendiſs.^{mo} D.^{no}

MAXIMILIANO
DE PALVMBARIA
ARCHIEPISCOPO BENEVENTANO.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE,
Apud Guillelmum Facciottum. M DC. V.

Digitized by Google

MAXIMILIANVS
DE PALVMBARIA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopus Beneuentanus.

Clero, & omnibus Ciuitatis, & Diœceſis Beneuentanæ Salutem in Domino.

ET ſi in Diœceſana Synodo ſub Iacobo Cardinali Sabello bon. mem. Archiep. Beneuen. Prædeceſſore noſtro celebrata, multa, quæ ad corrigendos mores, ad rectam adminiſtrationem Sacramentorum, ad abuſus tollendos, & ad reformationem Conſtitutionum Cathedralis Eccleſiæ noſtræ, & collegia-

tarũ neceſſaria, eo tempore viſa ſunt, decreta fuerunt, quæ omnia, & ſingula in ſuo robore permanere, & quatenus opus eſt, hic pro innouatis, et repetitis habere volumus; quia tamen, vt tempus tulit, multa in dies emerſere, quæ correctione, & emendatione indigere cognouimus; operæ precium duximus eſſe, Diœceſanam hanc Synodũ celebrare, & rerũ ſtatũ, ac perſonarũ, quarum cura nos tangit, quantùm cũ Deo poſſumus, in meliùs reuocare; multis prӕterea adiectis, quæ ad parochi inſtitutionẽ, pro ſacramentorum adminiſtratione, & quæ ad Dei cultum pertinere ſum arbitratus. Accipite igitur Dilectiſsimi, et pro ſuo quiſque munere, & pietate, æterne potiùs

retri-

retributionis ſpe, quàm pœnarum formidine, exequi illa ſtudeatis; In quam curam, vt debita quiſque diligētia incumbat, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri omnes monemus, atq; hortamur. Beneuenti in Palatio Archiepiſcopali. Die xxv. Martij. M.D.XCIIII.

Max. Palumb. Archiep. Beneuent.

Antonius Ragucius Canonic, Beneu. Secret.

Digitized by Google

EDICTVM

INDICTIONIS DIOECESANAE SYNODI BENEVENTANAE.

MAXIMILIANVS DE PALVMBARIA
Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia
Archiepiſcopus Beneuentanus.

CVM prouincialem Synodum ex Sacrorum Canonum, & Conc. Trid. præſcripto, proximè celebrare intendamus, qua, quantùm Deus annuerit, Prouinciæ noſtræ, ſi qua ſunt reformatione digna, cum coëpiſcopis noſtris ſtudebimus emẽdare, & ad alia proſpicere, quæ præſentium rerum ſtatus, & tempora hæc, expoſcere videbuntur: rationis tamen ordo poſtulat, vt Diœceſanam *Synodum, qua Diœceſi noſtræ conſulatur, ante omnia celebremus. Et quamuis ex antiquiſſimo huius Metropolitanæ Eccleſiæ inſtituto, etiam ſub Vgone Archiepiſcopo Beneuentano prædeceſſore noſtro innouato, Diœceſana Synodus ſingulis annis in Vigilia ſancti Bartholomæi Menſis Auguſti, & in feſto translationis eiuſdem ſancti Corporis, vigeſima-*

quinta die menſis Octobris, celebrari conſueuit, in qua ea deciſa ſint, quæ tẽporis opportunitas requirebat; præſertim verò publicatæ conſtitutiones ſint, quas Sanctiſsimus Dominus Noſter pro abuſibus extirpandis publicari mandauit, cui antiquo inſtituto, & Conſtitutioni ob hoc derogatum eſſe minimè intelligatur; tamen quia in viſitatione, quam nuper nos ipſi peregimus, multa detexi-mus, quæ emendatione digna ſunt; idcircò Diœceſanam Synodum præſenti noſtro edicto duximus conuocandam: quare mandamus omnibus, & ſingulis Venerabilibus Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, Decanis, Canonicis, Rectoribus, & alijs quibuſcunque, tàm Regularibus, quàm Sæcularibus perſonis Ciuitatis, & Diœceſis Beneuentanæ, quæ de iure, vel con ſuetudine Diœceſanæ Synodo intereſſe quacunq; ratione tenentur, vt ad diem vigeſimum octauum menſis Aprilis proximè futuri, qua ipſa Synodus inchoabitur, in prædictam Eccleſiam noſtram Beneuentanã conueniant. Si verò ipſimet venire, legitimè impediti, cauſam nobis ſignificando, & probando, non poterint, procuratores mittant, aliàs pœnas de iure, vel conſuetudine contra non venientes infligi ſolitas ſubibunt; eos autem, quibus cura imminet animarum, durante hoc abſentiæ tempore, vt alicui probo Sacerdoti eorum Eccleſias commendatas relinquant, monemus.

Præſentis noſtri edicti copijs, alicuius curiæ noſtræ Archiepiſcopalis Notarij manu ſubſcriptis, & ſigilli noſtri impreſsione munitis, in Valuis Eccleſiæ Metropolitanæ, & locis ſolitis Diœceſis publicè affixis, ac ſi id perſonaliter ſingulis intimatum eſſet, omnes affici, & coarctari volumus. Datum Beneuenti in noſtro Palatio Archiepiſcopali. die 25. Martij. M. D. XCIIII.

Max. Archiep. Beneuentanus.

Antonius Ragucius Canonicus Beneuentanus Secretarius.

Digitized by Google

DE PROFESSIONE FIDEI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PROFESSIO fidei, nè ab vllo, qui ad eam expreſsè tenetur, prætermittatur, ſtatuimus vltra ea, quæ in Diœceſana Synodo ſub Iacobo Cardinali Sabello ſtatuta ſunt, vt qui deinceps de Beneficijs, fidei profeſſionem requirentibus, fuerint prouiſi, in Diœceſana Synodo, quæ quotannis in Vigilia ſancti Bartholomæi celebratur, denuò eandem fidei profeſſio-

nem

nem emittere teneantur; Ipſamque per Notarium Synodi, de qua eum rogari iubemus, adnotari curent à tergo Bullarum ipſorum Beneficiorum; fiat etiam profeſſio fidei ſingulis annis in Synodo ab aliquo nomine totius Synodi, & per Notariũ ſcribatur. Formula profeſſionis fidei à Pio Quarto Pontifice præſcripta, eſt hæc.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo S. Romana Eccleſia vtitur vʒ.

Credo in vnum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli,& terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium,& in vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium Dei vnigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum vero de Deo vero,genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt: Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub

Pontio

Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, & aſcendit in Cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos, cuius Regni nō erit finis, & in Spiritum Sanctum Dominum, & viuificantem, qui ex Patre, filioq́. procedit, qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas, & vnam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam venturi ſæculi. Amen.

Apoſtolicas, & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſq́ue eiuſdem Eccleſię obſeruationes, & conſtitutiones firmiſsimè admitto, & amplector; Item ſacram ſcripturam iuxta eum ſenſum, quem tenet, & tenuit ſancta Mater Eccleſia, cuius eſt iudicare de vero ſenſu, & interpretatione ſacrarum ſcripturarum admitto, nec eam vnquàm, niſi iuxta vnanimem conſenſum Patrum, accipiam, & interpretabor. Profiteor quo-

que

que ſeptem eſſe verè,& propriè ſacramenta nouæ legis, à Ieſu Chriſto Domino inſtituta,atque ad ſalutem humani generis, licèt non omnia ſingulis neceſſaria; ſcilicet. Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque,& approbatos Eccleſiæ Catholicę ritus in ſacramẽtorũ omniũ ſolemni administratione recipio,& admitto; omnia, & ſingula, quæ de peccato originali,ac de iuſtificatione in ſacroſancta Tridentina Synodo definita,& declarata fuerunt,amplector, & recipio; Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium ſacrificium pro viuis, & defunctis, atque in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Secramento,eſſe verè,realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem, vnà cum anima, & Diuinitate Domini Noſtri Ieſu Chriſti,fieriq́ue conuerſionem totius

ſub-

ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, quam conuerſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat; Fateor etiam ſub altera tãtùm ſpecie, totum, atq́ue integrum Chriſtum, verumq́ue ſacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſq́ue ibi detentas fidelium ſuffragijs iuuari; ſimiliter, & ſanctos, vnà cum Chriſto regnantes, venerandos, atq́ue inuocandos eſſe, eoſq́ue orationes Deo pro nobis offerre, atq́ue eorum reliquias eſſe venerandas firmiter aſſero; imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, necnon aliorum ſanctorum habendas, & retinendas eſſe, atq́ue eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam eſſe; indulgentiarnm poteſtatem à Chriſto Domino in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumq́ue vſum Chriſtiano Populo maximè ſalutarem eſſe, affirmo; Sanctam Catholicã, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco; Romanoq; Pontifici Beati Petri Apo-

ſtolo-

ſtolorum principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo, ac iuro. Cætera item omnia à ſacris Canonibus, Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, diffinita, & declarata indubitanter recipio, atque profiteor; ſimulque contraria omnia, atq. hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, Ego pariter damno, reijcio, & anathematizo; hanc veram, & Catholicam fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte polliceor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam vſque ad extremum vitæ ſpiritum cõſtantiſſimè, Deo iuuante, retinere, & confiteri, atque à meis ſubditis, ſeu illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantùm in me erit, curaturum. Ego N. ſpondeo, voueo, ac iuro, ſic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

Hanc fidei Profeſſionem teneantur etiam emittere Prædicatores verbi Dei, & Magi-

Magiſtri ſcholæ, niſi aliàs illam in noſtra Diœceſi feciſſe demonſtrabunt.

DE LVDI MAGISTRIS. Cap. I.

CVM tenera adoleſcentium ætas facilè laſciuis rebus inficiatur, præcipimus, vt Magiſtri Scholæ eos non legant Auctores, quibus puerorum animos corrumpi credendum ſit, ſiue Latino illi ſermone, ſiue Italico conſcripti ſint; Fugiant maximè, & abhorreant libros in Indice prohibitos, ſub pœnis ibi contentis,& alijs arbitrio noſtro imponēdis.Curent verò pueros,eorum fidei commiſſos,non litteris modò, ſed bonis moribus, ac ſalutaribus monitis, & præceptis imbuere;præcipuè verò inDoctrina Chriſtiana eos exercere ſtudeant.Quod an fiat inCiuitate teſtes Synodales,in Diec.Vicarij Foranei,vt nobis ſignificent,mādamus

DE.

De prædicatione verbi Dei. Cap. I.

PRAEDICATORES verbi Dei, nè tacenda proferant, vel dicenda reticeant, ſed potiùs animarum, quibus Dominici verbi ſemina effundunt, ſalutem petere debent, quàm ſuam eloquentiam, vel doctrinam oſtentare: Ideo relictis inutilibus quæſtionibus, quæ audientium animos plerunque confundunt potiùs, quàm inſtruant, tantùm, quæ ſalutaria pro euitandis peccatis, pro virtutibus amplectendis, pro hominum cordibus ad Dei dilectionem flectẽdis, & his ſimilibus accommodata, pro audientium captu eſſe cognouerint, concione proſequantur, & facti omnibus debitores, quorumcunque ſtatum hominum eruditione complectantur, modò filios, modò Parentes, nunc ſeruos, nunc Dominos, nunc viros, nunc vxores,

res, nunc ſenes, nunc iuuenes erudiant; ac quæcumque propria eis ſunt præſcribentes, paterna charitate, & ſolicitudine eos in via Domini dirigant; Sermonem ſuum, tùm ſacrarum litterarum teſtimonijs, tùm ſanctorum Patrum doctrina, atque exemplis, tùm ſacris Eccleſiæ traditionibus, ſimilitudinibus, atque ſacris figuris, comprobent; & quod præcipuè iuuat, non ſolùm verbo, ſed etiam exemplo prædicare ſtudeant. Nam eius prædicationem contemni, cuius vita deſpicitur, ſcriptum eſt. Et Salomon monebat, non eſſe impediendam muſicam, quod eſt; facta verbis eſſe contraria: Parochi Prædicatores non admittant ad prædicandum in ſuis Eccleſijs, niſi licentiam à nobis habuiſſe, monſtrabunt.

D Grego. Eccl.c.35.

Digitized by Google

De ſacris Imaginibus effingendis.
Cap. I.

CVM ex diſpoſitione ſacri Concilij Tridentini nemini liceat, quamuìs exempto, vllam inſolitam quouis loco, vel Eccleſia ponere, aut ponendam curare Imaginem, niſi ea ab Epiſcopo approbata fuerit; eius diligentiæ, & curæ commendatum ſit, vt in ſacris Imaginibus effingendis, nihil ſit, aut profanum, aut falſum, aut inhoneſtum, aut præpoſterũ, aut procaci apparentia, aut nimio artis lenocinio, ad mundanæ potiùs vanitatis ſpeciem, quàm ad pietatis commonitionem effigiatum. Nos, qui omnibus præſentes eſſe non poſſumus, mandamus Parochis, vt in ſua quiſque Eccleſia, vel intra fines ſuæ Parochiæ, quæ præmiſſa ſunt, curent; ſi quid verò difficultatis circa id ortum fuerit, ad nos deferant: prçcipuè verò imagines, non eo modo permittant

Digitized by Google

mittant effingi, vt illarum aſpectu turpitudinis cogitatio aſpicienti cauſetur; doceaturq́; Populus rudis, imagines eſſe adorandas, non quòd in eis diuinitas ſit, ſed quòd repræſentant eos, quos confidimus pro nobis orare.

De magicis artibus, & de ſuperſtitionibus tollendis. Cap. I.

VT ſuperſtitio, quę verę religionis eſt falſa imitatrix, omnino extirpetur; diligenter inquirant Parochi, an ſint in ſuis Parochijs, ſiue homines illi ſint, ſiue mulieres, qui magicis artibus vtantur, aut ſacris verbis, vel cantionibus, vel alijs quibuſuis ſuperſtitioſis modis vulnerata corpora curare, vel morbos expellere profiteantur; quæ (vt in Conc. Laodicē. dictũ eſt) maxima ſunt obligamenta animarum; & inuentos nobis denuncient, vt in eos iuxta Sacros Canones animaduerti poſſit.

De Sanctorum reliquijs. Cap. I.

SANCTORVM reliquiæ, quæ in hac vita receptacula fuerunt Spiritus ſancti, vt debita veneratione habeantur; curent Rectores Eccleſiarum, vbi ſunt, vt honeſtis in locis conſeruentur, & cum populo pietatis cauſa oſtendi, æquum viſum fuerit, accenſis luminibus, ex loculis, vbi conditæ ſunt eductæ, nulla quæſtus gratia oſtendantur; neuè de vno in alium locum ſine noſtra ſcripto obtenta licentia transferantur. Nouę reliquię, niſi à nobis approbatæ fuerint, iuxta formam ſacri Concil. fidelibus nè proponantur.

De ſacris actionibus, & repræſentationibus. Cap. I.

AD tollendas, quantùm poſſumus, hoſtis inſidias, qui ex bono malum ſæpe elicit, & vt animas capiat, ſpecie boni vtitur; mandamus Parochis, vt

con-

concionem Paſſionis D. N. Ieſu Chriſti nè permittant, niſi manè in aurora haberi; in qua re concionatores in Domino hortamur; ea ſint grauitate, & pietate, quam tanti magnitudo myſterij poſtulat; eosque tantùm actus externos, ad eam rem repræſentādā ir 'ucāt, quos Eccleſiæ ritu probatos ad pietatem audientium excitandam, lachrymaſq ciendas, accomodatos eſſe, iudicauerint.

Prætereà verò, tàm eam, quàm actiones ſanctorum, tragico, aut ſcenico more, tàm in ſacro, quàm profano loco repræſentandi facultatem, omnibus interdicimus; nè, quod pia quadam conſuetudine introductum eſt, malitia hominum abutente, & Chriſtianæ religionis hoſte inſtigante, pro pietate, & lachrymis, riſus, iocus, & contemptus in fidelibus excitetur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

De Inuocatione Sanctorum. *Cap. I.*

VT Sancti Dei vnà cum Chriſto in Cœlo regnantes, qua decet religione honorentur; Parochi dent operam, vt tollantur omnino abuſus, qui in eorum veneratione, cultuq́. irrepere poſſunt; ac ne feſti illorum dies, qui Ieiunijs, & carnis caſtigatione Deo placuerunt, ebrietatibus, & commeſſationibus celebrentur.

De Blaſphemia.

QVANTVM Deo abhominabilis ſit blaſphemia, facilè colligi poteſt ex diuina vltione, vt ſacrę litterę teſtantur, de blaphemijs ſępe ſumpta. Vt autem, vel terrore pœnę à blaſphemia omnes abſtineant, in ijs, quæ Leo X. in Lata-

Lataranen. Conc. decreuit,mādamus,vt ſi Clericus palàm, ſeu publicè Dominum Noſtrum Ieſum Chriſtum, vel eius glorioſam Matrem expreſſè blaſphemauerit, aut obſcęnis verbis, contumelioſiſq́. affecerit; eo ipſo, quò delicto huiuſmodi fuerit conuictus, pro prima vice fructibus vnius anni Beneficiorum Eccleſiaſticorum mulctetur; ſi iterum in eo peccauerit, & conuictus etiam erit, Beneficio, quod obtinet, vel ſi plura obtinet, eorum aliquo, quod nobis videbitur, priuetur; ſi tertiò eiuſdem ſceleris conuincatur; non ſolùm dignitates, & beneficia quæcunque, quæ obtinet, amittat, ſed inhabilis vlteriùs ad ea obtinenda reddatur. Si Laycus fuerit, viginti quinq́. ducatorum mulctetur pro prima vice, pro ſecunda duplò, pro tertia verò, ſi Nobilis fuerit, amiſiſſe Nobilitatem, iudicandū eſt; Si verò blaſphemans plebeius fuerit, & ignobilis, in carcerem detrudatur, & ſi ſecundò, & tertiò deliquerit, manibus poſt terga per integrā

 diem.

diẽ ante fores Eccleſiæ reuinctis ſtare cogatur, & ſi pluries in hoc ipſum peccatum lapſus fuerit, ad perpetuos carceres, vel ad triremes damnetur.

Hoc itaq. modo contra hoc perditum genus hominum officiales noſtros iudicare, volumus, & etiam atrocioribus pœnis, quæ in ſacris Canonibus fortè reperiuntur; Qui verò cęteros ſanctos blaſphemauerint, pro perſonarum ratione, iuxta illam Conſtitutionem Iudicis Arbitrio puniantur.

Obſecramus autem Principes, & Magiſtratus ſæculares per Dei gloriam (quę blaſphemia maximè violatur) vt hęc omnia ſeruari ſtudeant, à Deo piè huius curę mercedem expectantes, pręter decem annorum Indulgentiam, quam pręd icta conſtitutione Leo Pontifex, & ipſis, & Iudicibus, & deferentibus elargitus eſt.

De

De dierum Feſtorum cultu, & obſeruatione Cap. I.

LAVDABILI Conſuetudine receptum eſt, vt Parochi dies Feſtos, Vigilias, & Ieiunia, quę ex præcepto Eccleſiæ ſeruari debent, in die Dominica in media Miſſa populo annuncient. Quare, nè id prætermittatur, ac etiam, vt in Metropolitana noſtra Eccleſia per vnum in ſacris conſtitutum ex Seminario, à Bibliothecario (cuius id eſt) edoctum, vel per ipſum Bibliothecarium, in Collegiatis per vltimum ex Canonicis omnino fiat, præſenti conſtitutione mādamus.

Cap. II.

DIERVM Feſtorum obſeruationem ad Dei cultum maximè pertinere, nemo eſt qui ignoret. Quare mandamus,

damus, vt dies feſti, quos, & ſacrorum Canonum, & Pij. V. Pontificis Maximi ſanctionibus prçceptum eſt obſeruari, ab omnibus piè, ſancteq́. ſeruentur.

Feſti dies ſunt. Circumciſionis D. N. Ieſu Chriſti, Epiphaniæ, Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, S. Barbati Epiſcopi Beneuentani, S. Matthiæ Apoſtoli, S. Thomæ de Aquino, S. Marci Euangeliſtæ, Annunciationis Beatæ Mariæ Virg. Sanctorum Philippi, & Iacobi, Inuentionis Sanctæ Crucis, Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, Sanctorum Petri, & Pauli, S. Iacobi, S. Laurentij, Aſſumptionis Beatæ M. Virginis, S. Bartholomæi, S. Auguſtini Epiſcopi Eccleſiæ Doctoris, Natiuitatis Beatæ M. Virginis, S. Ianuarij Martyris, S. Matthei, Dedicationis S. Michaëlis Archangeli, Sanctorum Simonis, & Iudę, Feſtum omnium Sanctorum, S. Martini Epiſcopi, S. Andreę, S. Thomæ Apoſtoli, Natiuitatis D. N. Ieſu Chriſti cum tribus diebus ſequentibus, S. Sylueſtri Papæ, Dominicæ Reſurrectionis

cum

cum duobus diebus ſequentibus, Feſtũ Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes cum diebus duobus ſequentibus, Feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti, & omnes dies Dominici.

Hortamur verò, vt etiam ſeruentur feſta, quæ peculiari quadam deuotione, & pia conſuetudine in Ciuitate, & Diœceſi Beneuentana obſeruari conſueuerunt; Parochorum autem munus erit, ſiue per ſe ipſos, ſiue per concionatores Populum ad dierum Feſtorum ſanctificationem admonere; & in his, vt ab illicitis, & ſeruilibus operibus, (quæ maximè prçcepta ſunt) quæ ſine euidenti detrimento dilationem ſubſtinere poſſunt, abſtineãt, hortari; ſæpe eis, & diuinam vltionem, & pœnas in Concilio Prouinciali Beneuentano tranſgreſſoribus propoſitas, repetendo.

In his diebus inter cętera, quę prohibenrur, mercatus ne fiant, ſed trasferantur in ſequentem diem, vel in præcedentem, ſi feſtum non erit; profanę negociatio-

nes,

nes, & Iudiciorum ſtrepitus conquieſcăt; Laycorum conuentus, & quæ conſilia appellantur, nè congregentur; ſed vbi neceſſitas vrgeat, de licentia Parochi fieri poterunt poſt veſperas.

Nè, quid ematur, aut vendatur, prętерid, quod ad victum, vel ad aegrotorum curationem neceſſarium ſit.

Nè ludi equeſtres, certamina, aut alia ludicra, & inania ſpectacula adhibeantur.

Choreę, ſaltationes, & alia id genus, nè fiant ante fores Eccleſiarum, nec alibi, dum Diuina celebrantur, nè, quod defletum eſt per Hyeremiam, adimpleatur. Viderunt eam Hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius; derident enim Dæmones Chriſtianas plebes, cùm vident in feſtis per pręuaricationẽ legis, Deum inhonorari.

Abuſus, qui hucuſq. forſan perdurant in quibusdam feſtis, publicos ludos edendi, cuiuſcumq. generis illi ſint, tollantur omnino.

Oeconomi ſæculares nullo tempore de bonis Eccleſiæ ludos edant, nec certamina,

nec

nec brauia, ſeu curſus equorum, aut ſimilia ſpectacula exhibeant; ſi ſecus fecerint, pœnas, vt dierum feſtorum tranſgreſſores, ſubeant, & de proprijs bonis Eccleſijs ſatisfaciant.

In ſanctiſſima Natalis D. N. Ieſu Chriſti nocte ludi quicumq., commeſſationes item,cæteraq. huiuſmodi,quod indigniſſimum eſt, vt omni diligentia euitentur, per Parochos curabitur; tranſgreſſores verò nobis ſignificabunt.

Doceatur autem Populus dies feſtos, & potiſſimùm diem Dominicum, qui à temporibus Apoſtolorum ſemper celebris fuit, inſtitutos eſſe, vt tùm in vnum omnes pariter conuenirent, ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoq. ſacrum, & etiam ad comunicãdum, & tandem ad vacandum Deo ſoli;& vt dies illos tantùm orationibus, Hymnis, Pſalmis, & canticis ſpiritualibus, Diuinę miſericordię maxima Beneficia recolendo, tranſigant. hoc enim eſt ſanctificare ſabbatum.

Cap.

Cap. III.

CONSVETVDINEM illam veterem in Ciuitate, & Diœceſi Beneuentana, duplici officio decorandi ſanctorum natales dies, quorum, aut hic reliquię habentur, aut, hinc oriundi fuerunt, approbamus, & quatenus opus eſt, mãdamus, vt duplex eorum officium recitetur ab omnibus nobis ſubiectis, qui diuinum officium recitare tenentur, iuxta cathalogum, à Primicerio Maioris noſtrę Metropolitanæ Eccleſiæ omnibus dandum.

De his, quæ pertinent ad Eccleſiã Noſtrã Cathedralẽ. Cap. I.

QVONIAM, & de reformatione conſtitutionum noſtæ Cathedralis Eccleſiæ, & alijs, quę ad Dignitates, & Ca-

& Canonicos ipſius pertinere videbantur, in Diœceſana Synodo ſub bon: me: Cardinalis Sabelli celebrata, dictum eſt; ea tamen hìc, quę cuiuſq. Dignitatis incumbunt officio, duximus addenda.

De Officio Archidiaconi. Cap. I.

ARCHIDIACONVS, qui inter Synodales examinatores eſſe debet, diligenter inſpiciat, nùm ordinandi bonum teſtimonium de requiſitis Vicario noſtro, & Examinatoribus exhibuerint; numuè in examine approbati fuerint, vt nobis poſtea interrogantibus, ad ordines ſi illos dignos nouit, vel quia examini ipſe interfuit, vel quia approbationem vidit, verè poſſit reſpondere, illos dignos eſſe. Eandem adhibeat diligentiam in concurſu ad Beneficia; nùm criminoſi, vel indocti ob gratiam, & munuſcula admittan-

quauis alienationis ſpecie tractatur, animaduertat, omni cura, vt conſtitutiones Concilij Trid: & Prouinc: Synodi, ſuper his omnimodè obſeruentur; memorando etiam pœnas, tranſgreſſoribus propoſitas; quòd ſi ſecus fieret, ad Archiepiſcopū rem deferat, ſæpeq́. Canonicos moneat, Clerum adminiſtratorem, & vſufructuarium bonorum Eccleſiæ, non Dominum eſſe.

De Officio Archipresbyteri. Cap. I.

AD Archipresbyteri miniſterium pertinet, curam gerere animarum, & abſente Archiepiſcopo, in eius vicem Miſſarum ſolemnia celebrare, vel alteri id committere, prouidere; vt, cùm pro ratione feſtorū ſolemne debet agi officium, dignè, & ſanctè perficiatur, & celebretur.

Itē præcipere debet Canonicis, vt induāt ſe veſtibus ſacris,& qualiter ad miſſam procedant; poteſt etiam, ſi Archiepiſcopus abfuerit, fontes benedicere.

Archipresbiyer, qui in Eccleſia Cathedrali, ſacramenta miniſtrare habet, ſi forte aliquem eligat ſibi coadiutorem, iuxta Conſtitutionem Iacobi Sabelli in Diœceſana Synodo, ſuper hoc editam, videat, ân ille rectè miniſterium ſuū adimpleat; alioquìn ſe illius negligentię pœnas daturum ſciat.

Itemq́. curet, vt ſacriſtæ, qui per ipſum etiam deputantur, horis debitis Campanas pulſent, & Eccleſiā mundent; lumina in altari, dum ſacra aguntur, iuxtà formulā ſufra dandam, accendant; lampades nitidas, perpetuo ardentes, ante ſanctiſſimum Sacramētum teneant.

Cap.

Cap. II.

ARCHIPRESBYTER præbēdam habet annexam S. Mariæ Portæ Glorioſæ, à Donato de Aquino Archiepiſcopo 1423. ſub die. xij Menſis Martij Pontificatus Martini V. anno ſexto,ad onera ſubſtinenda Eccleſiæ.quæ hæc eſt

Donatus permiſsione Diuina Archiepiſcopus Beneuētanus Ad perpetuam rei memoriam.

ET ſi ad ea, quæ ſtatum̄, & commodum, & augmentū vniuerſarum Eccleſiarum, Eccleſiaſticarumque perſonarum noſtro regimini cōmiſſarum, concernere dignoſcuntur,ex debito Paſtoralis officij aſtringimur; propenſiori tamen ſolertia

Digitized by Google

debemus intendere circa ſalutem, commodum, & honorem Beneuentanę Maioris Eccleſiæ ſponſæ noſtræ, quæ cæteris Eccleſis Noſtræ Ciuitatis, & Diœceſis Beneuentanæ prælata fore cenſetur pariter, & Magiſtra. Nos itaq; prouidè attendentes, quòd venerabilis Vir. Abb. Ioannes de Malgerijs de Airola Archipresbyter eiuſdem noſtræ Maioris Eccleſiæ Beneuentanæ, nequit expenſas, quas oportet eundē de neceſſitate ſubire, ratione Archipresbyteratus Eccleſiæ memoratæ, & multiplicia, & diuerſa onera ſibi incumbentia incommodè ſupportare; Et potiſſimùm propter guerras, turbines, quæ hanc Patriam diutiſſimè afflixerunt; quibuſuè fructibus, redditibus, & prouentibus Archipresbyteratus prædicti, oculata fide noſmet, & experientia multa didicimus, & manus noſtræ contrectauerunt. Igitur Parochialem Eccleſiam S. Marię de Porta glorioſa Beneuentanam, cum omnibus iuribus, & pertinentijs ſuis prędicto Archipresbyteratui,

tui; cui volumus in hac parte, de alicuius ſubuentionis auxilio prouidere. Venerabilium, & circumſpectorum virorum Capituli Canonicorum noſtræ Eccleſiæ memoratæ attendentes conſenſum, tenore præſentium, auctoritate ordinaria vnimus, annectimus, & incorporamus. Itaq. cedente, vel decedente Rectore ipſius Parochialis Eccleſiæ, vel aliàs quomodolibèt Eccleſiam ipſam dimittente, ſeu ipſa Eccleſia alio quouis modo vacante; liceat Archipresbytero dictæ N. Maioris Eccleſiæ pro tempore exiſtenti eiuſdem Parochiæ, Iuriumq. & pertinentiarum ipſius corporalem poſſeſſionem, auctoritate propria, alicuius licentia ſuper hoc minimè requiſita, liberè apprehendere, & licitè retinere; volumus autem, quòd Archipresbyter ipſe, curam Parochianorum prefatæ Eccleſiæ per aliquem Sacerdotem idoneum, per eundem inſtituendum, & conſtituendum, exerceri faciat, & ibidem deſeruire laudabiliter diuinis. Datum Beneuenti.

In Noſtro Archiepiſcopali Palatio, ſub appenſione noſtri Pōtificalis Sigilli. Anno à Natiuitate Domini M. CCCC-XXIII. die XXII. Menſis Martij primæ Indictionis, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini Noſtri D. Martini Diuina prouidentia PP. V. Anno VI. Præſentibus Donno Amato de Chriſtianis, Blaſio de Aquino de Grotta Minarda, Ioanne de Turri de diliceto de Mirabella, Antonio de Giptio Clerico Beneuentano Ciuibus, & habitatoribus Beneuentanis ad præmiſſa vocatis, ſpecialiter, & rogatis.

Et Ego Matthæus quondam Cicci de Laurentia Canonicus Beneuentanus, publicus Apoſtolica auctoritate Notarius, vnioni, & incorporationi dictæ Eccleſiæ Parochialis in dicto Archipresbyteratu, omnibuſq. alijs, & ſingulis, prout præmittitur per præfatum Dominum Archiepiſcopum, factis, & ordinatis, vnà cum prænotatis teſtibus præſens interfui, ac de mandato ipſius Domini has præſentes publi-

publicas litteras in præſentem publicam formam redactas; ad requiſitionem, & rogatum præfati Domini Archipresbyteri propria manu redegi, ſignumq., & nomen meum conſuetum appoſui in fidem, & teſtimonium omnium, & ſingulorum prædictorum.

Nos Donatus, qui ſupra Archiepiſcopus Beneuētanus prædicta fatemur, & propria manu ſubſcripſimus.

HANC igitur de accendendis in Eccleſia luminibus obſeruet formulam, etiam ex Iacobi Cardinalis Sabelli viſitatione de anno 1571 aliàs ei iniunctam. Sex accendantur candelæ ceræ albæ, vnaquæq. ponderis vnius libræ, & nouem ſolitæ lãpades in feſto Natiuitatis D. N. Ieſu Chriſti, cum duobus ſequen-

tibus, Circumciſionis, Epiphaniæ Domini, Purificationis B. Mariæ Virginis, Annunciationis, Cœnæ Domini, ſabbati Sancti, Reſurrectionis Domini cum duobus ſequentibus, Aſcenſionis, Pentecoſtes cum duobus ſequentibus, Sanctiſſimæ Trinitatis, Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, In die Tranſlationis S. Bartholomæi de India in Lyparim, quæ eſt decima ſeptima menſis Iunij, de Lypari Beneuentum, quæ eſt vigeſima quinta octobris, In feſto viſitationis B. Mariæ Virgininis, Aſſumptionis, & eius octaua, & Natiuitatis eiuſdem B. Mariæ Virginis, In feſto omnium Sãctorum, in commemoratione omnium defunctorum, ſed hac die cera ſit cetrina, In feſto Præſentationis B. M. Virginis, & Conceptionis eiuſdem.

In omnibus prædictis feſtis talis ſeruetur numerus luminum, ad veſperas, ad matutinum, & ad ſacrum Miſſæ; In cæteris horis duo tantùm adhibeantur lumina, præterquàm

terquàm in Annũciatione, Aſſumptione Beatæ Mariæ, in Natiuitate, & Reſurrectione Domini, in quibus etiam in horis ſit eadem luminum ſolemnitas.

Omnibus diebus Dominicis, & reliquis feſtis, de præcepto Eccleſiæ accẽdãtur quatuor candelæ in miſſa conuentuali, in alijs feſtis, & ferijs duæ.

Dominicis, & feſtis maioribus, & feſtis Apoſtolorum ad matutinum, & in miſſa, præſtetur incenſum.

In his omnibus feſtis, & alijs, in quibus eſt cõſuetudo, pulſentur campanæ ſolemniter, ſimiliter, & Organum.

Cæteræ Eccleſiæ collegiatæ, & receptitiæ Ciuitatis, & Diœceſis eadem ſeruent pro viribus; nihil tamen per hæc renouatum intelligatur, quoad vigilias, & ſolemnitates Eccleſiæ, quæ in antiquis Cõſtitutionibus præcipiuntur.

Cap.

Cap. III.

CVM in Ciuitate Beneuentana, non paruus numerus exulum, & aduenarum interdũ vagetur; Archipreſbyter de eorũ vita, & moribus diligenter inquirat, vt ſaltem in Paſchate peccata confiteantur,& ad ſanctiſſimã cõmunionem admitti poſſint ij, quos indignos non repererit; idem, vel ab eo deputatus librum habeat, in quo nomina,& cognomina eorum,quibus per Ciuitatem, & Diœceſim ſacra olea, & ſanctum chriſma in Hebdomada ſancta diſtribuuntur,deſcribantur;nec non litteras mittentium ſeruet; cùm ex huiuſmodi non exacta diligẽtia multa acciderint incõmoda:Parochis verò mandatur, vt non niſi ſacris initiatos, vbi id commodè fieri poteſt, ad ea accipienda ſuperpelliceo indutos cum lampadibus accenſis, mittant.

Digitized by Google

De Officio Primicerij Maioris, & Minoris. Cap. I.

PRIMICERII Cathedralis Eccleſiæ officium ſuum in Choro omni cum diligentia exquantur.

Primicerius autem Maior,qui etiam Pœnitentiarius eſt, ita ſe in huius muneris functione exhibeat, vt eius miniſterium laudabile ſit. Cumq́. ad ipſum ſacrarum reliquiarum cuſtodia pertineat, in piam hanc curam ardenter incumbat.

De Officio Theſaurarij. Cap. I.

THESAVRARIVS, qui ſacrorum vaſorum, & veſtimentorum Eccleſiæ, & ornamentorum omnium maioris altaris cuſtodiã habet,quæ in Prouinciali,& Diœceſana Synodo Beneuen-

tana

Digitized by Google

tana aliàs ſtatuta ſunt, ſeruet; aliter iuxta illarum Conſtitutionum tenorē procedetur; nec extra Eccleſiam vlli etiam Eccleſiæ bona Theſaureriæ abſq. noſtra licentia accommodet.

De Officio Bibliothecarij. Cap. I.

BIBLIOTHECARIVS, cuius eſt ſacros libros Eccleſiæ cuſtodire, & conſumptos ſuis impenſis reſtituere; necnon ſcripturas publicas, & inſtrumenta capituli, & bullas comprouincialium Epiſcoporum ad Archiepiſcopatum pertinentes conſeruare; ſcripturas publicas, & inſtrumenta extra Bibliothecam nulli videnda tradat, cùm multa damna, & Capitulo, & præbendis ex amiſſione Inſtrumentorum euenerint; atq; in Inſtrumentis Capituli ea, quæ de locationibus in Synodo Prouinciali ſtatuta sũt, ſeruet;

& Ar-

& Archiepiſcopo, vel eius Vicario inſtrumenta locationum in poſterùm facienda, ferat, vt ſuum aſſenſum præbeat, vel ſi non ſeruata forma Canonum facta ſint, annullet.

De Magiſtris Cæremoniarum Cathedralis Eccleſiæ. Cap. I.

SACRARVM Cæremoniarum Magiſtri ſciant, officium ſuum eſſe monere, & inſtruere ſacros miniſtros in Choro, & in eccleſia, in omnibus ad diuina officia pertinentibus; librum Cæremoniarum Paridis de Graſſis, & Pontificale præ manibus ſæpè habeant; & qua debent charitate, & honeſtate omnes in officio contineri, ſtudeant, vt nihil ſit in Eccleſia inordinatum, nihil præpoſterum; ſi qui verò fuerint, qui quoad diuina pertinēt, inobedientes erunt, nobis, vel Vicario

noſtro

noſtro denuncientur, quoniam tanquam ſcientiam repellẽtes, præter alias pœnas, ab Eccleſia etiam, creſcente contumacia, tandem repellentur; intendant etiam cæremoniarum Magiſtri in nouiter ad Presbyteratus ordines promotos, & eos ſacris miſſæ cæremonijs diligenter inſtruãt.

De Officio Punctatorum Cap. I.

PVNCTATORES, quod iureiurando ſeruare promiſerũt, fideliter exequãtur; & in fine cuiuſcumq. menſis, qui ab Archiepiſcopo eſt electus, vel à Capitulo, librum punctationum, ei oſtendat; cùm aliàs fuit ſtatutum, vt qui dignitates, & præbẽdas obtinent, duplici amiſſione notentur, cum id hucuſq. ſeruatũ non ſit, in poſterùm ſeruetur; quòd ſi Canonici ſeruientes id remiſerint, fabricæ Eccleſiæ, vel vtilitati Chori ex nũc applicamus.

De Miſ-

De Miſsis celebrandis in Cathedrali Eccleſia pro altaribus euerſis: Cap. I.

CVM in Eccleſia noſtra Cathedrali multa eſſent altaria paruula indecēti forma, nec omnia dotata; aliqua eorum in viſitatione iuſſimus demoliri; facta diſtributione Miſſarum ea formula, quæ ſequitur, quam decernimus quotidie obſeruari; vt piorum voluntates, & legata ſanctè adimpleantur, vt hucuſque etiam ſeruatum eſt.

DIE DOMINICO.

Celebretur in altari S. Mariæ Magdalenæ pro Cappella S. Mariæ de Florellis.

In altari S. Laurentij.

In altari S. Catherinæ, pro Cappella Principum.

In altari S. Mariæ Montis Virginis pro

Digitized by Google

Cappella de Iencarellis :
In altari Sanctiſſimi Corporis Chriſti.
In altari Priuilegiato S. Antonij pro familia Aquinatum.
In altari S. Ioannis.
In altari Sanctiſſimi Crucifixi.

DIE LVNAE.

In altari S. Mariæ Magdalenæ pro Cappella S. Antonij noui.
In altari S. Laurentij.
In altari Sanctiſſimi Corporis Chriſti.
In altari S. Barbati pro Cappella de Piſcibus.
In altari S. Catharinæ pro Cappella Abb. Viti Maurelli.
In altari S. Mariæ de Libera pro Cappella S. Mariæ Conſtantinopolis.
In altari Pacis pro Cappella Abb. Angeli Corbi.
In altari Priuilegiato pro Cappella Martij Terragnoli.

DIE

DIE MARTIS.

In altari Pacis pro Cappella delli Malanotte.
In altari S. Laurentij.
In altari Vſilci.
In altari S. Barbati pro Cappella delli mãgianti.
In altari S. Catharinæ pro anima Abb. Lutij Ceruij.
In altari Sanctiſſimi Corporis Chriſti pro anima Iſabellæ Albinæ.

DIE MERCVRII.

In altari S. Mariæ Montis Virginis pro Cappella S. Mariæ de Florellis.
In altari S. Laurentij.
In altari S. Catherinæ pro Cappella delli Pechia.
In altari Spiritus Sancti pro Cappella Aſſumptionis.
In altari S. Mariæ Magdalenæ.
In altari Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Digitized by Google

In altari Sanctiſſimi Crucifixi pro Cappella Aquinatum.

In altari S.MariæMontis Virginis pro familia de Perotta.

DIE IOVIS.

In altari delli Moſcolella.

In altari S. Laurentij.

In altari S Mariæ MontisVirginis pro Cappella SS.Coſmæ, & Damiani.

In altari S.Catherinæ proCappella S.Chriſtophori de Argento.

In altari S.Ioannis.

In altari delli Caccauuni.

In altari Sanctiſſimi Corporis Chriſti pro anima Iſabellæ Albinæ.

DIE VENERIS.

In altariSanctiſſimiCorporisChriſti pro anima Iſabellæ Albinæ.

In altari Pacis pro Cappella Principum.

In altari S.Laurentij.

In al-

In altari S.Barbati pro Cappella de Piſcibus.
In altari S.Mariæ de libera pro Cappella D.Marcelli Capoblanchi.
In altari Sanctisſimi Crucifixi Miſſa pro peccatis pro familia delli Canali.
In altari Sanctiſſimi Corporis Chriſti.
In altari priuilegiato pro Reuer. Abb. Ioanne Vincentio Capoblanco.
In altari Sanctiſſimi Crucifixi pro Cappella Tagliaferri.

DIE SABBATI.

In altari Pacis pro Cappella Chriſtophori propè portam.
In altari D. Laurentij.
In altari Spiritus Sancti pro Cappella, vt vocant Annuntiatellæ.
In altari S.Mariæ Magdalenæ pro Cappella S.Annæ.
In altari S.Mariæ de libera.
In altari S. Catherinæ pro Cappella de Colamonaco.
In altari Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

In altari S. Mariæ Montis Virginis pro familia de Perotta.

In altari S. Antonij pro anima Antonij Treſchæ. Ad libitum pro familia de Aegyptijs in altari priuilegiato.

Cap. II.

IN Eccleſijs, tàm collegiatis, quàm alijs per Ciuitatem, & Diœceſim Beneuētanam idem ſeruari mādamus per eos, quorum eſt appoſita in ſacriſtia tabella altarium, vbi in viſitatione iniũctum eſt ſeruitium pro altaribus euerſis; cæterùm deinceps, nec Cappellas, nec altaria, nobis irrequiſitis, à Parochis locorum erigi permittatur.

Digitized by Google

De celebratione Diuinorum Officiorum, ipſorumq. miniſtris.
Cap. I.

CIRCA diuinorum officiorum celebrationem, præter ea, quæ in Diœceſana Synodo Beneuentana aliàs ſanctè decreta ſunt, vt debitè vacetur, Bonifacij VIII. conſtitutione, & Concilij Tridentini auctoritate decernimus, vt nullum ſtatutum, ſeu conſuetudo, pactio, aut remiſſio valeat, qua abſenti quauis de cauſa, diei, vel ſacræ horæ, in qua ſuo muneri defuerit, diſtributiones quotidianæ dari poſſint; & ſi datæ fuerint, qui acceperit ſuas non faciat, ſed eas reſtituat inſeruientibus, qui in ea abſentia minimè conſenſerunt; ſin'omnes cóſenſere, vſibus Eccleſiæ ex nunc applicatæ cenſeantur. Hi tamen ſint excepti, qui ob infirmitatem, & ob iuſtam aliam cauſam, vel manifeſtam Eccleſiæ vtilitatem Seſſ. 24. c. 12.

iuxta prædictam conſtitutionem abfuerint. Hortamur autem omnes, potiùs cœleſtis lucri gratia, quàm terreni, diuinis officijs incumbere; meminerintq. in primis, quia Canonici ſunt, canonicè eos decere viuere.

Canonici vltra tres Menſes abeſſe non poſſint ſub pœna priuationis.

De officio Parochorum, & Sacramentorum adminiſtratione.
Cap. I.

PAROCHI, qui, vt eorum nomen ſonat, fidelibus cœleſtem cibum parare debent, præſtent re, quod vocabulo dicuntur, omniq. ſtudio, & omni diligentia incumbere tenentur, vt commiſſum ſibi à Domino gregem in æterna paſcua ducant; præcipueq. in eis vigilans reſidentia, & reſidens vigilia ſuper grege requiritur; quod mandamus, vt

vt faciãt, alioquin pœnas à Concilio Tridentino propoſitas, ſubibunt.

Ex decreto Concilij Tridentini de Reſidentia. Sub Paulo. III.

EPISCOPIS inferiores, quæuis Beneficia Eccleſiaſtica perſonalem reſidentiam de iure, ſiue conſuetudine exigentia, in titulum, ſiue commendam obtinentes, ab eorum Ordinarijs, quemadmodũ eis pro bono Eccleſiarũ regimine, & diuini cultus augumento, locorum, & perſonarum qualitate penſata, expediẽs videbitur, opportunis iuris remedijs, reſidere cogantur; nulliq́. priuilegia, ſeu indulta perpetua de non reſidendo, aut de fructibus in abſentia percipiendis, ſuffragentur; indulgentijs verò, & diſpenſationibus temporalibus ex veris, & rationabilibus cauſis tantùm conceſſis, & coram ordinario legitimè probandis, in

ſuo robore parmanſuris: Quibus caſibus nihilominùs officium ſit Epiſcopornm, tamq́. in hac parte à Sede Apoſtolica delegatorum, prouidere, vt per deputationẽ idoneorum Vicariorũ,& congruæ portionis fructuum aſſignationem, cura animarum nullatenus negligatur; Nemini quò ad hoc Prinilegio, ſeu exemptione quacumq́. ſuffragante.

Decretum Concilij Tridentini de Reſidentia. Sub Pio IV.

CVM præcepto diuino mãdatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium, offerre, verbiq́. diuini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere; pauperum, aliarumq́. perſonarum miſerabilium curam paternã

gerere

gerere, & in cætera munera Paſtoralia incũbere; quæ omnia nequaquã ab ijs præſtari,& impleri poſſunt,qui gregi ſuo non inuigilant, neq. aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt; ſacroſanctaSynodus eos admonet, & hortatur, vt diuinorũ præceptorũ memores, factiq.forma gregis in iudicio, & veritate paſcant, & regant, & infra. Poſtea:Si quis autem (quod vtinam nunq. eueniat) contra huius decreti diſpoſitionem abfuerit,ſtatuit ſacroſanctaSynodus, præter alias pœnas aduerſus non reſidẽtes,ſub Paulo III. impoſitas, & innouatas, & mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis abſentiæ fructus ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſequuta, illos ſibi detinere poſſe, ſed teneri, aut,ipſo ceſſante per ſuperio remEccleſiaſticum illos fabricæ Eccleſiarum, aut pauperibus loci erogare; prohibita quacumq. conuentione, vel compoſitione, quæ pro fructibus malè perceptis appellatur; exqua etiam

præ-

prædicti fructus in totũ, aut pro parte ei remitterentur:non obſtãibus quibuſcũq. priuilegijs cuicumq. collegio, aut fabricæ conceſſis.

Eadem omnino, etiã quò ad culpã, amiſſionẽ fructuum,& pœnas,deCuratis inferioribus, & alijs quibuſcumq. qui Beneficium aliquod Eccleſiaſticum curam animarum habens,obtinent, ſacroſancta Synodus declarat,& decernit; ita tamen, vt quandocumq.eos cauſa priùs perEpiſcopum cognita, & probata, abeſſe contigerit,Vicarium idoneum ab ipſo Ordinario approbandum, cum debita mercedis aſſignatione relinquant: Diſcedendi autem licentiam in ſcriptis,gratiſq. concedendam, vltra bimeſtre tempus, niſi ex graui cauſa non obtineant; quòd ſi per edictum citati, etiam non perſonaliter, contumaces fuerint;liberum eſſe vultOrdinarijs per cenſurasEccleſiaſticas,& ſequeſtrationem, & ſubtractionem fructuum, aliaq. iuris remedia, etiam vſq. ad priuationem,compellere;nec exequutio-

nem

nem hanc, quolibet priuilegio, licentia, familiaritate, exemptione, etiã ratione cuiuſcumq. Beneficij, pactione, ſtatuto, etiam iuramento, vel quacumq. auctoritate confirmato, conſuetudine etiam immemorabili, quæ potiùs corruptela cenſenda eſt, ſiue appellatione, aut inhibitione, etiam in Romana Curia, vel vigore Eugenianæ conſtitutionis, ſuſpendi poſſe. Poſtremò, tàm decretum illud ſub Paulo. III. quàm hoc ipſum, in Conc. Prouincialibus, & Epiſcopalibus publicari ſancta Synodus præcipit; cupit enim, quæ adeò ex Paſtorum munere, animarumq. ſalute ſunt, frequenter omnium auribus, mentibusq. infigi, vt in poſterùm, Deo iuuãte, nulla tẽporũ iniuria, aut hominũ obliuione, aut deſuetudine aboleãtur.

Cap. II.

CVM autem parùm ſit, Parochos in ſuis Eccleſijs reſidere, & ſuper commiſſum gregẽ nõ inuigilare; illorum partes eſſe inſinuamus,

vt

Digitized by Google

vt animas ſibi creditas verbo, & exēplo paſcant; ſacramentorumq. miniſterio, illorum morbis (quæ ſunt peccata) medeātur, & tāquā boni Paſtoris imitatores, animas ponant pro ouibus ſuis.

Cap. III.

CVRENT igitur eam vitæ rationem inſtituere, vt, veluti candelabra, omnibus luceant; & qui ipſorū opera viderint, eos imitari ſtudeant, glorificentq. Patrem, qui in cœlis eſt; ſcient verò muneri nō aliter ſatisfacturos, quàm ſi probatam vitam doctrinæ ſale cōdierint; quod, vt exequantur, mādamus omnibus, ſaltem Dominicis, & ſolemnibus feſtis diebus, commiſſum ſibi populum pio aliquo ſermone, pro audiētium capacitate, in viam Domini dirigant, vel ſaltem confeſſionem dicant, proùt antiqui moris eſt; poſt tamen populo annuntiata feſta, & ieiunia; præcipuè verò in articulis fi-

dei,

dei, præceptis Decalogi, & in ſacramentorum Eccleſiæ myſtica gratia declaranda verſari debent; tùm etiam in orationis Dominicæ explicatione; idq́. faciliùs explebunt, ſi Romanum Cathechiſmum Pij. V. iuſſu editum, aſſiduè præ manibus habeant, vt duplici honore digni habeantur; cùm huiuſmodi ſermo habendus erit, id fiat ſtatim poſt lectũ, aut decãtatũ Euangeliũ in Miſſa ante offertorium.

Cap. IV.

OMNES, quibus cura animarum imminet, & in Eccleſijs aſcriptitijs Hebdomadarij, Dominicis, & feſtis diebus; præſertim Aduentus, & Quadrageſimæ tempore, ſtatuta hora, pueros in Eccleſiã conuocent, eosq́. prima fidei rudimenta doceant, & in Doctrina Chriſtiana ſummatim erudiant; etiam ſi id expedire videbitur, inter miſſarum ſolemnia Dominicam Orationem,

nem, ſalutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum, vt memoriæ mandent, omnino præcipiant, etiam adultis; hortenturq., vt idem domi faciant parentes; in primis verò pueros à blaſphemijs, iuramentis, & execrationibus, tùm domeſtica diſciplina, tùm diuinæ iræ prædicatione deterreant; illud addendo, quòd prima fidei rudimenta ignorantes, ſi pueri ſint ad ordines, ſi adulti ad matrimonium non erunt admittendi.

Cap. V.

CVMQVE pueri id facilè amplectantur, quod ætatis initio eis proponitur; hortentur patres, matreſq. familias, & alios, qui puerorum curam gerunt, vt ſeptimo, aut octauo eorum ætatis anno, aut etiã intra, vbi malitiam ſupplere viderint ætatem, ad confeſſionem eos mittant; quò verò ad comunionem iudicio ſe

cio ſe accommodent Confeſſoris.

Cap. VI.

INFIRMOS viſitare ſtudeant, etiam non accerſiti, idq́. potiſſimùm in principio infirmitatis; eoſq́. ad Confeſſionem peccatorũ, quorum occaſione ſæpe corporis morbi eueniunt, exhortentur, & auxilium à cœleſtimedico præcipuè implorare doceant.

Cap. VII.

IN ſacramentorum adminiſtratione eos ſe exhibere debent Parochi, quos tantæ dignitas rei requirit, & ſicut domum Dei ſanctitudo decet, ſic domeſticos Dei ſanctitatem maximam decere ſciant.

Digitized by Google

Cap. VIII.

SAEPE etiam Populum admoneant, vt frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem Dominicis, & maioribus feſtis ad audiendam Miſſam accedant; tùmq. ſciant ſe Chriſtiani hominis officio functos eſſe, ſi ſacrificio intēti, vana colloquia vitent, & non niſi abſoluta miſſa diſcedant, & aliorum etiam ſalutis memores, filios, & famulos, quos in ruralibus exercent, ſaltem in Dominicis, & feſtis diebus, miſſam audire mandent.

Cap. IX.

VT Parochi oues ſibi creditas cognoſcere, & illarum rationem habere, & reddere, cùm opùs fuerit, accuratiùs poſſint; habeant librum, qui omnium eorum curæ commiſſo-

miſſorum nomina, conditiones, ætates, ac ſexus contineat; in quo etiam ſcribantur, qui nouiter ad habitandum in Parochia venerint, & qui ab ea diſceſſerint; habeant etiam Catalogum omnium pauperum, & miſerabilium perſonarum Parochiæ; præſertim nubilium puellarũ, orphanorum, & viduarum, vt eorum pia induſtria eis prouideri poſſit; habeantq; alios libros, in quibus ſeparatim, & qui baptizati fuerint, & qui confirmati cum nominibus confirmantis, vel tenentis, confirmati, & tenti, & compatrum, & qui matrimonium contraxerint, & qui è vita migrauerint, conſcripti ſint; quorum exempla ſingulis annis in Synodo S. Bartholomei nobis ferant; ſiq. eos ad aliam Eccleſiam tranſire contigerit, ſucceſſori cum alijs bonis Eccleſiæ relinquant.

Cap. X.

SERVETVR pia illa conſuetudo, vt in hebdomada ſancta (quód fieri ſolet plerumq́ die Sancta Iouis) per ſe ipſos Parochi, vel per alios Sacerdotes, vel ſaltem ſacris initiatos decenti habitu ſuperpelliceo, & horario ornati, fidelium domos aqua benedicta aſpergant, ouaq́ue, & cætera benedicant, ſine tamen aliqua ſuperſtitione;ſeruetur q́, vt in Dominicis diebus, ante Miſſam Parochialẽ Sacerdos Populum aqua benedicta, nouiter facta, vt moris eſt, aſpergat.

De vita, & moribus Parochorum. *Cap. I.*

QVAMVIS de vita, & moribus Clericorũ infrà dicetur; videtur tamen hic locus poſtulare, vt aliqua præſer-

ſertim de moribus, & conuerſatione Parochorum dicamus; cùm horum officium, & vita, tàm Diuo Paulo curæ fuerit, vt ijs rectè ſe habentibus, de reliquis non admodum magnam ſolicitudinē habuiſſe videatur. Ad Timotheum, Miniſtrum Eccleſiæ inſtructurus, inquit; Exemplum eſto fidelium, in verbo, in conuerſatione, in fide, in caſtitate, in charitate: itidem ad Titum; In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate in grauitate, verbum ſanum, irreprehenſibile, vt qui exaduerſo eſt, vereatur, nihil habens mali dicere de nobis. Et rurſus ad Timotheum, vt ſcilicet abſtineant ab omni auaritia: Hoſpitales enim erunt, non turpis lucri cupidi, non opes, ſed animas venantes, non auri, ſed hominum Piſcatores; alioquìn ex Paſtoribus fient mercenarij, vertenturq. in lupos, & eis Dominum per Exechielem exprobrantem, audient; Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod craſſum erat occidebatis,

1. ad Timo. 2.

Tit. 2.

c. 5. Tim. 1.

matt. 4.

Eze. 34

gregem autem meum non paſcebatis, quod infirmum fuit, non conſolidaſtis; quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiuiſtis; & quæ ſequuntur. & rurſus Paulus ad Ti-
2. Tim. 2. motheum: Iuuenilia, inquit deſideria fuge, ſectare verò Iuſtitiam, fidem, charitatem, & pacem cum his, qui inuocant Dominum de corde puro, labora ſicut bonus miles Chriſti, nemo enim militãs Deo, implicat ſe negocijs ſæcularibus: In ſumma præſtent Parochi facto, quod vocabulo dicuntur, ne illud dicatur de
matth. 23. eis; Dicunt, & non faciunt; & illud: Vox
Gen. 27 Iacob, manus Eſau; & illud: Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui lege glo-
Rom. 2. riaris, per præuaricationẽ legis Deũ inhonoras. Intueantur Paſtorum Principem, qui cæpit facere, & docere, qui fuit potens opere, & ſermone, & diſci-
matt. 11 pulos Ioannis ad opera miſit: Ite, inquit, renunciate Ioanni, quæ vidiſtis, & audiſtis; Cæci vident, &c.

De Baptiſmo. Cap. I.

DE Baptiſmo, ſicut etiam de alijs ſacramentis, habētur multa in altera Synodo Diœceſana; hìc tātùm monere volumus Parochos, vt doceant (quod etiam faciant in cæteris ſacramentis) Populum, quid in Baptiſmo agatur, ſcilicet, quòd illic vetus homo aboleatur, remiſſo omni peccato, atq́. exoriatur nouus, ab omni labe purgatus per fidem in Chriſtum; quòd illic, qui baptizatur, lauetur lauacro regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti in ſanguine Chriſti pro nobis effuſo; quòd veterem Adam illic exuimus, ac viciſſim Chriſtū induimus, & alia, quæ in Catechiſmo Romano, quem, ſicut omnes Clericos noſtros habere cupimus, ſic, vt ab omnibus Parochis habeatur, mandamus.

Gal. 5.
Tit. 3.
Rom. 6.

Cap. II.

DOCEANT Parochi, intrà domeſticos parietes non eſſe baptizandum ſine vrgēti neceſſitate; vrgente verò neceſſitate, ab obſtetricibus, vel alijs fœminis, vbi, vel ſacerdotis, vel clerici, vel laici copia opportunè haberi poſſit, baptizari nō debere; & obſtetrix, cum baptizabit, curet, vt duæ ſaltem mulieres, & mater teſtes adſint; & ſi taliter baptizatus domi infans ſuperuixerit, templo, ſi ſtatur infra octo dies, & tunc facta debita diligentia, an cum vera forma, & debita materia fuerit baptizatus, & inuento ita eſſe, ſine alia conditione, cæremoniæ tantùm Baptiſmi, & myſticæ illæ vnctiones per Parochum erunt addendæ.

Cap.

Digitized by Google

Cap. III.

ADVERTANT etiam Parochi, & cæteri baptizantes iuxta Trid. decreta Cõcilij. vnum tantùm, vel vnã, & ad ſummũ vnum,& vnam ad ſuſcipiendum baptizandos admitti poſſe; hac igitur de re, antequàm baptizent, diligenter ab illis ad quos ſpectat, ſciſcitentur, quem, vel quos elegerint, vt baptizatum de ſacro fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantùm ad illũ ſuſcipiendum deſignent, & admittant; Si verò vltra deſignatos,alij baptizatũ tetigerint, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahent; quòd ſi ſecus Parochi negligentia factum fuerit, arbitrio noſtro punietur; vt precipuè ſanctorum nomina, & non Gentilium imponantur, moneant, &, qui neſciunt orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorũ,eos à ſuſceptione excludant; ſimiliter Regulares,& baptizandorum parentes.

Cap. IV.

VT infantibus occurramus, qui impudicarum matrum impietate corporis, & animæ periculo exponuntur; monemus Parochos, vt, ſi quem taliter expoſitum repererint, omni inueſtigent diligentia, an baptizatus ſit, & in dubio, tali vtantur forma Si tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo, & ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo &c. neq. ſcriptum infantis, collo appenſum, quo ille baptizatus ſignificetur, ſatis ſit, niſi etiam alia probationum adminicula concurrant; & præmiſſa forma præſtari poteſt, imminente neceſſitate, vbi verò neceſſitas non adſit, deferatur in Eccleſiam, vt moris eſt, baptizandus.

Ex mediolanē. dial. 3. pag. 153.

Cap.

Cap. V.

VT abuſus omnes, quos hactenus non ſine ſuperſtitionis ſuſpicione audiuimus inoleuiſſe, prorſus tollantur; animaduertat baptizans, vt ſal, quod in exorciſmo baptizandi benedicitur, ſudariolaque, & candelæ, quæ ad Eccleſiam deferuntur, in eadem relinquatur, ſal verò in ſacrarium mittatur, reliqua in vsū Eccleſiæ, ſi ad id accommodata erunt, conuertantur, ſin minùs comburantur, & cineres in ſacrarium reponantur.

Cap. VI.

MONEANT Parochi, vt excluſo caſu neceſſitatis, baptiſmus ante meridiem adminiſtretur; adultos ad baptiſmum non recipiant, niſi eos, & veteris vitæ pœnituiſſe, & in fide Chriſti per aliquod con-

congruum tempus diligenter inſtructos eſſe, conſtiterit.

Cap. VII.

POSTEMO ſtudeant Parochi docere Populum ſolemnia Baptiſmi, cur ſcilicèt catechizetur baptizãdus, cur in eius faciem inſufletur, cur Crucis ſigno in pectore, & in fronte ſignetur, cur ſal in os ponatur, cur aures, & nares attingantur ſputo, cur vngatur in pectore, & ſcapulis, cur aqua in vertice infundatur. Quid ſignificet amictus albus, qui capiti ſuperimponitur, quid candela accenſa data manui infantis; quæ omnia ſunt ſacrorum myſteriorum pleniſſima, vt à ſacris ſcriptoribus, & præſertim à Catechiſmo fuſiùs declarata inuenient.

De Con-

Digitized by Google

De Confirmatione Cap. I.

PAROCHI, cùm primùm Sacrum Chriſma miniſtrandum eſſe, audierint, quod vt plurimùm viſitationis tēpore fieri conſueuit, ſuos Parochianos inſtruant, hoc ſacramento, Spiritus Sancti gratia confirmatum aduerſus Dœmonum incurſus, quibuscum continua eſt colluctatio, cōfirmari, & roborari, & dari virtutem ad audacter confitendum nomen Domini N. Ieſu Chriſti, vt quod corde credit ad iuſtitiam, ore quoq. palàm confiteatur ad ſalutem; proptereaq. ad illud maxima cum deuotione eſſe accedendum, & ſi qui fuerint adulti confirmandi, hortentur, vt ſacramentum hoc, præmiſſa peccatorum confeſſione, recipiant.

Cap. II.

VTQVE ſanctè miniſtrari, & deuotè ſuſcipi poſſit, curent omnem confuſionis occaſionem auertere; quod facilè fiet, ſi confirmãdorum nomina ante ſtatutam diem Confirmationis, ſcripta ſecum habuerint; ſimulq́., ſi fieri poteſt, & compatrum nomina, ipſoſq́. in Eccleſia, vbi Chriſma miniſtrabitur, cum confirmandis adeſſe ſtuduerint.

Cap. III.

FASCIAS lineas, & goſſipium, quod bambacion vulgò appellatur, quibus frontes confirmatorum, & obligantur, & abſterguntur, poſteaquã in ſacrario per ſacerdotem fuerint abluta, ſi Eccleſiæ mundis vſibus apta nõ erunt, comburantur, & cineres in ſacrario itidem reponantur; faſciæq́. prædictæ,

dictæ, vbi ſacra vnctio fuerit exiccata, per ſacerdotes ſoluantur; per quos doceatur populus, in hoc Sacramento, ſicut in baptiſmo, contrahi cognationem; & non niſi vnum, aut vnam, & ad ſummum vnum, & vnam ad tenendum, admitti poſſe.

Cap. IV.

EXTIRPETVR à Parochis abuſus ille per auricularum infantis contractum, vel linteorũ ablutionem, ſeu faſciæ ſolutionem, ſeu per alium ſuperſtitioſum, vanumq. ritum contrahẽdæ cõpaternitatis, ſed tantùm per ſuſceptionem in Baptiſmo, & tentionem in confirmatione, cognationem ſpiritualem contrahi doceatur; Admoneantur, & hi compatres officij ſui erga Confirmatos.

Digitized by Google

De Sacroſancta Euchariſtia.
Cap. I.

VERISSIME, & Sanctiſſimè Diuinus Pſaltes cecinit, memoriam omnium ſuorum mirabilium feciſſe Dominum, dando nobis eſcam Sãctiſſimi Corporis ſui: Quare curabunt Parochi, & in hanc piam curam diligentiſſimè incumbent, vt, & ipſi ſe ipſos dignos miniſtros exhibeant, & hoc ſanctum non detur canibus, & hæc margarita nõ ponatur ante porcos, ſoliciti proſpiciant. Quod faciliùs, feliciuſq. ſuccedet, ſi de tanti ſacramenti virtute, de multiplici gratia dignè ſumentibus, deq. terribili pœna, indignè accedentibus, propoſita, ſæpe dixerint. De adminiſtratione, & alijs circa hoc Sanctiſſimum Sacramentum habentur multa in Diœceſana Synodo Iacobi Cardinalis Sabelli, à quibus, & ab

his,

Digitized by Google

his, quæ hìc ſequuntur ; vt non diſcedant Parochi , mandamus.

Cap. II.

PAROCHVS muneri ſuo benè ſatisfaciet, ſi Populum ad frequentem Euchariſtiæ ſumptionem ſæpe ad hortetur; præcipuèq́. temporè Paſchatis , cum omnes vtriuſq́. ſexus iuxta præceptum Eccleſiæ in propria Parochia communicare, præuia con feſſione tenentur ; quod impleri poſſe à Dominica palmarum vſq́. ad octauam Dominicæ reſurrectionis, Eugeniana Cōſtitutio declarauit , niſi ob aliquā causā in aliud tempus , vel in alium locum id fieri, nobis, vel Parocho , concedere, viſum fuerit ; Qui verò non communicauerint, Nobis per Parochos denuncientur , nam iuxta ſacrorum Canonum, & prædictæ conſtitutionis diſpoſitionem , contra eos procedetur . Qui extra patriam

triam

triam manentes, alibi comunicauerint, fidem ferre teneantur, alioquìn, ac ſi non comu nicauerint, habeantur.

Cap. III.

ADOLESCENTES, alijq́. rudiores, qui tunc primùm Dominicam menſam adire voluerint, ad eam non admittantur, niſi per aliquot dies ante à Parocho examinati, & de vi, & ratione ſacramenti fuerint inſtructi. Publicos item concubinarios, fœneratores, Blaſphemos, alioſq́. huiuſmodi facinoroſos homines ſemel ad pœnitentiam, & comunionem admiſſos, quos, in eodem peccatorum luto immerſos eſſe, Parochi cognouerint, prorſus excludant, nec ulteriùs ad comunionem recipiant, niſi verè, & ex animo vitam mutaſſe, iniunctamq́. pœnitentiam egiſſe, compertum fuerit, & vbi Eccleſiæ amplitudo patiatur, viri ſeparatim à mulieribus comuni-

municent. Nec ipſis purificatio in calice conſecrato, vel alio vaſe ad formam calicis, præbeatur.

Cap. IV.

PAROCHVS, qui antequàm ad infirmũ cum Sãctiſſimo Chriſti Corpore accedit, illius domum, vt præparentur neceſſaria, & illum ad ſuſceptionem tãtì Sacramenti diſponat, (ſi tempus feret) adire debet; benè inſpiciat, ſi ægrotum ita morbi vi affectum videat, vt paulò poſt vngendus ſit; tunc cum ſanctiſſimo Viatico, etiam ſacræ vnctionis oleum ferre poterit; ſiq́. ita opportunũ iudicabit, poſt ſacram vnctionem, & ſacras pro aegroti corporis, & animæ ſalute precationes, ab illo non diſcedat, ſed pijs verbis, vt de futura gloria cogitet, ſæpe eũ hortetur, & alia, quæ in tam difficili certamine Chriſtiana pietas perſuade-

bit, ægroto proponere non deſiſtat.

Cap. V.

VTQVE, qua decet veneratione, ſanctiſſima Euchariſtia ad ægrotos deferatur, Parochus indulgentias aſſociantibus cõceſſas ſæpe populo inculcabit; ad hoc autem plurimùm iuuabit, ſi, vbi inſtituta non eſt ſocietas ſanctiſſimi Corporis Chriſti, inſtituatur: Quod fieri à Parocho perſuadebitur. Caueant tamẽ Parochi, nè in miniſtrando ſanctiſſimo hoc ſacramẽto aliqua particula excidat, quod benè euitabitur, ſi aliquo decenti vaſe argenteo, vel argentato ſaltem, cõmunicãtiũ mẽto aptè ſuppoſito, vtẽtur.

Cap. VI.

SANCTISSIMVM Viaticum, ei qui illud ſumpturus non ſit, minimè deferatur, ſed ſi aliquo accidenti

in Pa-

in Parochi itinere, ita afficiatur infirmus, vt rite ei miniſtrari non poſſit; tunc collocata pyxide in menſa, ad hoc parata, paululùm Sacerdos moretur, genibus flexis cum aſtantibus, & cum ipſo ægroto, ſi poteſt, ſanctè oret, poſteaq. benedictione eidem facta cum Euchariſtia in pyxide incluſa, recedat; Si verò maximum ægri deſiderium ſuadebit, liceat etiam aperta pyxide, ſalutarem hoſtiam adorandam oſtendi; Deferatur autem ad infirmos per proprium Parochum, & eo legitimè impedito, nõ niſi per Sacerdotem, ad Confeſſionem expoſitum.

Cap. VII.

VT verò tutiùs deferatur iuxta in noſtra viſitatione aliàs facta mandata, in burſa ſerica, quò fieri poterit, precioſiori cũ funiculis ſericis à collo deferentis pendentibus, pyxis includatur, vt

plurimùm in Diœceſi ſeruatur. Id verò præcipuè ſeruetur in locis montuoſis, vbi longo itinere Sacerdos plerumque deſatigari ſolet.

Cap. IIX.

CAVEANT cuncti Eccleſiarum Miniſtri, nè ſacræ communionis, aliorumuè ſacramentorum quocumq. tempore miniſtrandorum occaſione, peluiculo, aut vaſculo expoſito, vlloue alio modo, directè, vel indirectè eleemoſynas quærant, illius dicti memores; quod gratis accepiſtis, gratis date.

Cap. IX.

ORATIONEM, quam vocant quadraginta horarum in publicis, & priuatis calamitatibus pro Deo placando, plurimùm ſemper valuiſſe, plurimus

Digitized by Google

mus totius orbis Chriſti fidelium vſus iampridem demonſtrauit, & ad præſens demonſtrat: Quarè vbi in noſtra Diœceſi inſtituta adhuc nõ eſt, vt quàm primùm inſtituatur per Parochos, monemus, & præcipimus; ad nos autem pro illius rectè exequendi formula veniant.

Cap. X.

SICVBI ſub deuotionis ſpecie, hominum ambitio eò proceſſerit, vt ſuper delatione baculorum Vmbellæ in proceſſione Sãctiſſimi Corporis Chriſti altercatio inter laycos orta fuerit; locorum Parochi pro eorũ pietate, & prudentia prouideant, etiam vbi comodè fieri poteſt, vt per Clericos deferantur, curando.

Digitized by Google

tetur omnes Presbyteros, ad frequenter celebrandum; tamen cum à nonnullis id fieri negligeretur, in ſecunda Synodo taliter diſpoſitum eſt, vt qui in Dominicis, & alijs feſtis diebus non celebrauerint, quiuè in minoribus conſtituti, ſemel ſaltem in mẽſe non communicauerint, fructuum omnium Beneficiorum illius menſis, in quo defecerint, pœna mulctẽtur, & qui beneficia non obtinẽt, carceris pœna puniantur. Nos, vt tam ſalutare præceptum adimpleatur, prædictas pœnas contra præfatos hic etiam innouamus.

Cap. II.

STVDEAT Parochus ea hora Miſſam celebrare, quæ toti populo comoda ſit, datis ſemper ante ſtatutis campanæ ſignis, ijſq. horæ dimidiæ interuallo diſtinctis, vt in tempore populus adeſſe poſſit, nulliuſq. gratia tardiùs, vel celeriùs celebret, nec incœptam ad cuiuſuis aduentũ

repetat; ad quæ qui celebrantem adegerit, pœnas in Conc. Prouinc· propoſitas ſubibit; celebrans arbitrio noſtro punietur: in Eccleſijs, quæ intra fines Parochiales Eccleſiæ ſunt, nullatenus celebretur Dominicis, & feſtis diebus, niſi completa Miſſa, vel ſaltem concione in Parochiali Eccleſia; In Cappellis, ſeu oratorijs priuatis, quorumcumq. illa ſint, celebrari omnino prohibemus, noſtra in ſcriptis non obtenta licentia, & Cappellano à nobis, vel Vicario noſtro non approbato.

Cap. III.

ABVSVS, ſi qui fortè irrepſerunt in ſancto Miſſæ ſacrificio, vel circa candelarum certum numerum, vel circa plurium Euangeliorum lectionem, quãdo id rubrica non præcipit, vel circa collectas, quæ in Miſſali non ſunt, omnino

Digitized by Google

tollimus,grauiter in contrafacientes animaduerſuri. In celebratione, cæremonias iuxta miſſale reformatum integrè obſeruent; dumq́. ad altare accedũt, vel ab illo,facto ſacro,recedunt, nemini caput aperiant. In fine Miſſæ legãtEuangeliũ Diui Ioãnis(In Principio erat,&c.) vel aliud, prout ratio temporis poſtulabit; adſitq́ ſemper miniſter, qui Eccleſiæ nomine reſpondeat celebranti.

Cap. IV.

CELEBRATVRVS, è ſacriſtia ſine Clerico veſte talari,& ſuperpelliceo induto,vbi id comodè fieri poteſt, ac etiam non paratis omnibus in altari neceſſarijs, non egrediatur; nè poſteà cum aſtantium ſcandalo cogatur expectare. In loco item profano, vel interdicto, aut præſente excomunicato, aut operto

capite,

Digitized by Google

capite, aut pedibus nudis, non celebret; ſtudeat, vt miſſa officio diei correſpondeat, vbi aliter deuotio, vel alia iuſta ratio non ſuadeat; lumina nè extinguantur, niſi expleta Miſſa.

Cap. V.

NE ſine libro miſſam incipiat, nec memoriter quicquam dicat, præter ea, quæ initio ſolent dici; ſecreta ſecretè pronunciet, reliqua ea voce legat, vt ab aſtantibus audiatur, nec nimis lentè, nec nimis ꝓperè: omnia cum reuerenda modeſtia, clarè, diſtinctè, & exertè legat. Hoſtiam, & Calicem ſuper corporale ita eleuet, vt etiam ipſe inſpicere, & adorare poſſit. Sacrum Canonem, etſi memoria tenere debet, non tamen memoriter pronunciet.

Cap. VI.

CELEBRATVRVS Clericali corona ſit inſignitus, niſi aliter neceſſitas ſuadebit: Nihil ſuper altare collocetur, niſi diuino miniſterio neceſſarium: Biretum, aut chirothecæ, aut alia celebrantis in loco extra altare appendantur: Euangeliorũ librum nulli alteri, niſi Epō, ſi adfuerit, deoſculandum deferat, nec ſæculari cuiuis, etiamſi ille magna ſit præditus dignitate, & vbi hic abuſus eſſet, penitus tollatur; quam rem benè declarant litteræ ſacræ Rituum Illuſtriſſimorũ DD. Cardinalium Cõgregationis ſub Datum Romæ 4. menſis Septẽbris 1592. Quarũ exemplum tale eſt foris. Al Molto Illuſtre, & molto Reuerendo Signor come fratello, Monſignor l'Arciueſcouo di Beneuento. Intus verò. Molto Illuſtre, & Molto Reuerendo Signor come fratello. E ſtata letta in Congregatione la lettera

di

di V.S. ſopra la pretendenza del Gouernatore del Principato vltrà, in cercare, che li ſia portato l'Euangelio nelle meſſe ſolenni;& queſti miei Signori Illuſtriſſimi hanno dechiarato,che non ſi debbia portar l'Euãgelio à Gouernatori di Prouincia. Così dunque potrà V. S. far eſſeguire nè luoghi della ſua giuriditione; con che prego Dio, che la feliciti ſempre. Di Roma alli 4. di Settembre 1592. D. V. S. molt'illuſtre,& molto Reuerenda. Come fratello per ſeruirla. Il Cardinal Geſualdo. Dumq. vtrumq. Euangelium legitur, ſtantes omnes audiant, reliquum Miſſæ,niſi infirmitas excuſarit, genuflexi.

Cap. VII.

ET quamuis, qui altari ſeruit, de altare viuere debeat; caueant tamen omnes celebrantes, nè plures pro vna Miſſa celebranda accipiant eleemoſynas;nec, vbi commo-

dè

Digitized by Google

de fieri poteſt, vnus plures Cappellanias habeat; neq́. ſingulis hebdomadæ diebus ad celebrandum ſe obliget. Turpem quæſtum pro miſſis celebrandis effugiāt. Peregrini Sacerdotes abſq́. dimiſſorijs à nobis, vel Vicario noſtro viſis, & approbatis celebrare non permittantur. In Eccleſijs Monialium nemo audeat celebrare abſq́. noſtra, vel Vicarij noſtri ſcripto obtenta licentia; niſi cum in ipſis Eccleſijs feſti dies celebrantur, vel exequiæ fiunt.

Cap. VIII.

IN altari nè celebretur, quod non ſit longitudinis palmorum trium cum dimidio, & altitudinis ſupra ſcabellum palmorum quatuor: In quo altare portatile in medio inſertum, tantùm emineat, quātùm celebrantis contactu cognoſci poſſit; ſintq́. ſupra altare tres tobaleæ, quarum ſupe-

Digitized by Google

ſuperior lõgitudine altaris latera coope-
riat; bradella, ſeu ſcabellum firmum ſit,
& ſtabile, latitudine palmorum trium
cum dimidio, ſed longitudine, altaris lõ-
gitudinem palmo vno cum dimidio ex-
cedat; altare verò infra vſq. ad parietem
circundet.

Cap. IX.

SICVBI adhuc cõtra no-
ſtræ viſitationis ſæpiùs re-
petita decreta, feneſtræ in
laycorum domibus, ita
Eccleſijs vicinis contiguæ
ſint, vt inde in eas intro-
ſpici poſſit; curent Parochi, vt, vel ob-
ſtruãtur iuxta edictum fel. rec. Pij
Quinti, vel nobis rem ſigni-
ficent, vt obſtrui curare
poſſimus.

Cap.

Cap. X.

CHRISTIANAE pietatis maximum opus eſt, orare pro defunctis, & illorum ſalubris eſt cogitatio; Hi igitur, qui in ſuis Eccleſijs id oneris habent, vt certis diebus Miſſam celebrent, ſaltem ſingulis mẽſibus pro defunctis celebrare debeãt; ſed ſi frequentiùs id facere in eorum inſtitutione impoſitũ eſſet, ita exequãtur.

Cap. XI.

FACTO ſacro, Sacerdos gratias Deo optimo maximo agat, quòd ad tantum miniſterium eum dignatus ſit acceptare; ſicuti etiam ante Miſſam facere debet, vt eum Dominus tali munere dignum efficere dignetur; qui verò de recenti promoti ſunt ad ſacerdotium, nè cele-

Digitized by Google

celebrent; niſi priùs à nobis, vel Vicario noſtro, an cæremonias probè teneāt, examinati fuerint. In prima Miſſæ celebratione, ſumptuoſa conuiuia, ludi, & alij abuſus omnino tollantur.

Cap. XII.

AEDITVVS, dùm in maiori Miſſa ſacroſanctum Domini Corpus eleuatur, campana magna ſignum det, vt hucuſq. fieri conſueuit: Sabbato ſancto, tàm ſæcularium, quàm regularium Eccleſiarum campanæ, nè pulſentur ante ſignum campanæ Cathedralis noſtræ Eccleſiæ; in Diœceſi verò ante ſignum maioris Eccleſiæ.

De Pœnitentia. Cap. I.

CONSTITVTIONEM Innocentij Papæ III. qua ſancitur, omnes ſemel ſaltem in anno proprio Sacerdoti,

doti, vel alteri ab Ordinario approbato, peccata confiteri oportere, ſub pœnis ibi contentis, Parochi populo quotannis publicent; quod fieri propter communionẽ tempore Paſchatis præcipuè debet.

Cap. II.

NEMO audeat pœnitentiæ Sacramentum miniſtrare, niſi à nobis, vel Vicario noſtro approbatus, licentiam, ſingulis ſex mẽſibus renouandam, ſcripto obtinuerit, (etiam ſi regularis fuerit) aut, niſi ad Parochialem Eccleſiam ſit admiſſus, ſub pœna excommunicationis.

Cap. III.

CONFESSORES à pœnitentibus nihil confeſſionis cauſa exigant eo tempore, nè potiùs pecuniæ lucro, quàm animarum ſaluti ſtudere

Digitized by Google

dere videantur; ſciantq́ Prouinciali Synodo cautum eſſe, vt à pecuniarijs pœnitentijs, quoad fieri poteſt, abſtineant: vbi verò pro perſonarum, & criminum ratione, tales pœnitentiæ erunt imponendæ, eas ſibi, vel eorum Eccleſijs nullo pacto attribuant; miſſaſq́. item, ſi quas pœnitentibus imponant, ad alios Sacerdotes, vt omni careant auaritiæ ſuſpitione, celebrandas remittant; nec ipſi tales eleemoſynas recipiant.

Cap. IIII.

LOCA ad Confeſſiones eo loco in Eccleſijs deputentur, vt ab omnibus proſpici poſſint; confeſſoreſq́., dum in illis ſunt ſuperpelliceo cum ſtola induti, pœnitentum confeſſiones audiant. Cum verò reſtitutio facienda erit, Confeſſores id onus in ſe ipſos non ſuſcipiant, niſi propalationis periculum aliud ſuadeat; quo

caſu

caſu, hapochã ab eo, cui ſit reſtitutio, pœnitenti illicò conſignandam, recipiant.

Cap. V.

QVAM ſæpiſſimè Parochi medicos moneant, vt in ægrotorũ cura, cõſtitutionẽ Innocẽtij III., & Pij V. ſeruent, qua præcipitur, vt cum primùm ad ægrotos vocantur, eos ante omnia admoneãt, vt idoneo Confeſſori peccata confiteantur; nec poſt tres dies (ſi id illi non fecerint) ad viſendum regredi poſſint, infamiæ nota vltra alias pœnas ipſis medicis, ſi contrafecerint, propoſita; hortentur etiam medicos, vt de ęgrotis in parochia exiſtentibus, ipſos Parochos certiores faciant, vt pro eorum munere ſtatim illos adire, & neceſſaria ſacramenta opportunè eis miniſtrare valeant; Quòd ſi in hoc medicos negligentes eſſe cognouerint, nobis ſignificent.

Cap. VI.

QVICVMQVE confeſſores in iniungendis pœnitentijs, Canones pœnitentiales cõfeſſis memorent, vt videant, quàm benignior ſit modò in eos mater Eccleſia; prõptioreſq́. reddãtur ad implendam iniunctam pœnitentiam; meminerint tamen confeſſores, vt pœnitentiæ ſalutares ſint, & ſicut in medicorum arte, contraria contrarijs curantur, ità ipſi eas imponant, quæ, & præſentia peccata purgent, & præſeruent etiam à futuris.

Cap. VII.

MANDAMVS omnibus confeſſoribus, ne manum in meſſem alienam admoueãt; neuè propoſitas pœnas ſubeant, vt cenſuras, & caſus, tàm Sanctiſſimo D. N. quàm nobis reſerua-

ſeruatos, in tabella iuxta confeſſorium appenſa, deſcriptos habeant, quos in fine huius libri imprimi mãdauimus: hos etiam caſus, omnes Ciuitatis, & Beneuentanæ Diœceſis Parochi, tàm ſæculares, quàm regulares, Aduentus, & Quadrageſimæ initio, publicari curent, vt, & ipſi pœnas dignè impoſitas vitẽt, & pœnitentes, à quibus abſolutionis beneficiũ petere poſſint, intelligant. Formulã prætereà abſolutionis optimè calleãt, quã hic vulgari ſermone, vt omnibus meliùs innoteſcere poſſet, declaratam inſeruimus.

La formula ordinaria dell'aſſolutione è queſta. Finita la confeſſione il Sacerdote tenendo la mano deſtra ſopra il penitente deue dire. Miſereatur tui omnipotẽs Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum concedat tibi omnipotens, & miſericors Dominus. Amen. Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius,

qua fungor, Abſoluo te ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, inquantùm poſſum, & tu indiges. Deinde ego abſoluo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen. Paſſio D.N. Ieſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium ſanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum tuorum, & augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.

Canones pœnitentiales, quorum notitia Confeſſoribus eſt valde neceſſaria, ſunt enim quædam regulæ directiuæ ad pœnitẽtias delinquẽtibus imponendas.

PRIMVS eſt. Quòd ſi presbyter fornicationem fecerit, decem annorum pœnitentiam faciet eo modo, quò in ſa-

cris

eris Canonibus terminatur.

Secundus caſus eſt. Si presbyter cognouit filiam ſuam ſpiritualem, quam ipſe baptizauit, vel in baptiſmo, aut confirmatione tenuit, vel, quæ ſibi confeſſa fuit, debet pœnitentiam agere duodecim annis, & ſi crimen manifeſtum eſt, debet deponi.

Tertius eſt. Quòd quicumq́. filiam ſuam ſpiritualem, vel matrem cognoſcit ſeptem annis pœniteat, & ſimiliter ei conſentientes.

Quartus eſt. Quòd, qui cõtrahit cum aliqua alij deſpõſata per verba de præſenti, ipſa dimiſſa, quadraginta diebus ieiunet in pane, & aqua, & ſequentibus ſeptem annis pœniteat.

Quintus eſt. Quòd, qui cognoſcit duas commatres, vel ſorores, ſiue vxor viuat, ſiue nõ, ſeptem annis pœniteat ad minùs.

Sextus eſt. Quòd, qui cognoſcit monialem, ſiue deuotam, decem annis pœniteat.

Septimus eſt de eo, qui ignoranter cognoſcit duas ſorores, vel matrem, & filiam,

vel amitam, & neptem, vt pœniteat ſeptem annis; ſi ſcienter, perpetuò priuetur coniugio.

Octauus eſt. Qui duxit vxorem eam, quam polluit per adulteriũ pœniteat quinque annis.

Nonus. Qui contra naturam peccauit; ſi ſit Clericus debet deponi, vel religioni tradi ad perpetuam pœnitentiam peragendam; Si verò ſit Laicus à cœtu ſidelium vſq. ad condignam ſatisfactionem debet fieri alienus, hoc enim vitium eſt maius, quàm cognoſcere matrem.

Decimus eſt. Quòd, qui coierit cum brutis, pœniteat pluſquàm ſeptem annis, ſimiliter, & pro inceſtu.

xj eſt. Presbyter, qui intereſt clandeſtinis nuptijs, triennio ſuſpenditur, & ſi culpa exegerit, grauiùs puniatur.

xij eſt. Quòd, qui votum ſimplex violauerit, pœniteat tribus annis.

xiij. eſt. Quòd, qui excommunicatus celebrauit, debet triennio pœnitere.

xiiij. Quòd homicida voluntarius ſine ſpe reſti-

reſtitutionis deponitur, & pœniteat ſeptem annis.

xv. Quòd homicida cauſalis pœniteat quinq́. annis.

xvj. Quòd, qui fecerit homicidiũ propter neceſſitatem euitabilẽ, pœniteat duobus annis.

xvij. Qui latronem occultum occidit, quẽ viuum comprehendere potuit, quadraginta diebus non intret Eccleſiam, & aliàs pœnitere debet.

xviij. Matricida pœniteat decem annis; & vxoricidæ grauior pœnitentia debet imponi; & qui dominum occidit, numq́. equitat, nec vehiculo portatur, nec matrimonium contrahit vſq́. ad decem annos, carnem non comedit, nec vinum bibit.

xix. Qui presbyterum interficit, pœniteat 12. annis.

xx. Qui iniuſtè alium ad mortẽ accuſat, quadraginta diebus in pane, & aqua per ſeptem annos ieiunet, & pœniteat.

xxj. Periurus quadraginta diebus in pane,

& aqua ieiunet, & ſeptem annis ſequentibus pœniteat, & ſemper debet eſſe in pœnitentia, ſcilicet interiori.

xxij. Quòd, qui compulſus conditionaliter à domino, ſcienter peierat; ſi liber ſit, quadraginta diebus in pane, & aqua, & ſeptem annis pœniteat; Si verò ſeruus eius, qui coëgit, tribus quadrageſimis ieiunet, & legitimis ferijs, ſcilicet ſecunda, quarta, & ſexta.

xxiij. Qui peierat in manu Epiſcopi, vel in Cruce conſecrata, pœniteat tribus annis; ſi verò in Cruce non conſecrata, vno anno.

xxiiij. Qui falſum ſcienter iurat, vel alium iurare cogit, quadraginta diebus ieiunet in pane, & aqua, & ſeptem annis ſequẽtibus pœniteat.

xxv. Qui menſurat in falſa menſura, triginta diebus ieiunet in pane, & aqua.

xxvj. Qui frangunt pœnitentiam ſolemnẽ, ſiue redeundo ad crimina priora, ſiue ad negotia eis interdicta, à comunione ſuſpenduntur, & pœnitere debent decem

annis

annis, & niſi in fine vitæ comunicent.

xxvij. Qui canit Miſſam, & non communicat, debet vno anno pœnitere, & interim Miſſam non cantare.

xxviij. Qui cõmittit ſacrilegium, Eccleſiam violando, vel chriſma, ſiue calicem ſacrum pollutis manibus accepit, vel ſimilia ſacrilegia committit, pœniteat ſeptem annis.

xxix. Qui blaſphemauerit publicè Deum, vel aliquem ſanctorum, & maximè Beatam Virginem; illi debet Epiſcopus hãc pœnitentiam iniungere; ſcilicet, vt ſeptem diebus dominicis pro foribus Eccleſiæ in manifeſto, dum Miſſa cantatur, exiſtat, & vltimo illorum dierum dominicorum pallium, & calciamenta deponat, & corrigiam ligatam circa collum habeat, & ſeptem præcedentibus ſextis ferijs in pane, & aqua, ieiunet, Eccleſiam nullatenus ingreſſurus, & quo libet prædictorum dierum tres pauperes, vel duos, vel ſaltem vnum, ſi poteſt, reficiat, & ſi non poteſt in aliam pœnam

conuer-

conuertatur, & vt omnia iſta obſeruet, ingreſſus Eccleſiæ eſt ei interdicendus, & blaſphemus ſecundùm leges eſt decapitandus, vt in authen. Vt nō luxu. contra naturam circa medium. col. 6.

xxx. Presbyter, qui reuelat confeſſionem, debet deponi, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinari.

xxxj. Clericus, qui in dicendis horis canonicis, & alijs diuinis officijs (ſi hoc facit ex contemptu) diſcrepat à conſuetudine Metropolitanæ Eccleſiæ, ſex menſibus priuatur comunione.

xxxij. Sortilegus quadraginta diebus pœniteat; qui videt in aſtrolabio duodecim annis.

xxxiij. Si celebrantis negligentia ſtilla ſanguinis D. N. Ieſu Chriſti ſuper terram ceciderit, pœniteat quadraginta diebus, & ſi ſuper pallio altaris ceciderit, pœniteat quatuor diebus.

xxxiv. Si aliquis euomet Euchariſtiam propter voracitatem, & ebrietatem; ſi laicus pœniteat quadraginta diebus; ſi clericus

vel

vel monachus, vel presbyter, vel diaconus pœniteat ſeptuaginta diebus, & euomitura debet comburi, & in ſacrario poni; ſi verò cauſa infirmitatis euomuerit, ſeptem diebus pœniteat.

xxxv. Qui domum, vel aream voluntariè ſuccēdit, damnum reſtituat, & tribus annis pœniteat, & excommunicari debet, nec abſolui, donec ſatisfecerit; pœnitētiaq́. imponitur, vt pro Dei ſeruitio in Hieruſalem, vel in Hiſpaniam vadat, anno integro ibi moraturus.

xxxvj. Patronus, qui res Eccleſiæ dilapidat, vno anno pœniteat; & qui domum ſuam magicis, & incantionibus luſtrat, vel aliud ſimile facit, & qui ei hoc conſulit, quinque annis pœniteat.

xxxvij. Qui iurat pacem proximo ſuo nō facere, anno vno pœniteat, & ad pacem reddat.

xxxviij. Qui ſcienrer rebaptizatur, ſeptē annis pœniteat, & feria quarta, & ſexta in pane, & aqua ieiunando tres quadrageſimas facit, & hoc ſi fecit pro hæreſi intro-

introducenda; ſi autem pro ſalute corporis obtinenda, tribus annis pœniteat, & efficitur irregularis.

xxxix. Qui vxorem adulteram cognoſcit, anteq̃ pœniteat, tribus annis pœniteat, & ſi ante peractam pœnitentiam cognoſcit, duobus annis.

Ex his poterit confeſſor procedere ad pœnitentias pro diuerſis criminibus ſecundùm Canones imponendas, & ex cauſa, conſideratis circumſtantijs, poterit moderari eas ſecundùm diſcretum ſui arbitrium. Reliquos etiam Canones pœnetentiales diffuſiùs poſitos, in vnum habebit confeſſor in fine libri decretorum.

Cap. VIII.

QVIA verò multa alia, huc pertinentia, habentur in prædictaSynodo Iacobi Cardinalis, ad quæ etiam confeſſorem remittimus; hìc tantùm, præter ea, quæ dicta ſunt, confeſſorem monemus,

Digitized by Google

nemus, vt ſit integer, eruditus, ac ſilentij tenax, inter cætera, quibus pollere debet; ſitq́. præcipuè prudentia maxima præditus in inquirendis criminibus; circa mulieres, & ſimplices maximè cautus ſit, ne qđ fortaſſe illi committere neſciāt, importunis interrogatiunculis confeſſoris diſcant: Tandem monemus confeſſorem, quò rectè munere ſuo fungatur, aliquam ſummam caſuum conſcientiæ aſſiduè præ manibus habeat.

De Ieiunio. Cap. I.

PAROCHI omnem adhibeant diligentiam ad fideles cohortandos pro ſacra obſeruatione Ieiunij, & ſumpta ex diuinis literis commonitione, ad perpetuam vitæ ſobrietatem ſedulò cohortentur, vt per cibi, potuſq́. moderationem carnis laſciuiam comprimentes, ad exercitia pietatis mentem liberiùs intendere queant, ipſumq́.

Digitized by Google

ipſumq́. ieiunium diuini eſſe præcepti; doceantq́. ;non ſolùm ieiunare debere, ſed etiam carne,cæteriſq́. omnibus, quæ à carne originem trahunt, vt ouis,lacte, caſeo,butyro, & huiuſmodi per omnia ieiuniorum tempora,vt ſunt vigiliæ,quatuor anni tempora, & quadrageſima eſſe abſtinendum; quatuor anni tempora, vt vernum, æſtiuale, autumnale, & hyemale, & quadrageſima, vt temporis decima,domino offeruntur; illa quadripartiti anni pars; hæc,vt totius anni.

Vigiliæ de præcepto ſunt.Natiuitatis D: N. Ieſu Chriſti, Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, Beatorum Apoſtolorum, exceptis Ioannis Euangeliſtæ, & Philippi, & Iacobi vigilijs; Item omnium Sanctorum, Natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, & Beati Laurentij.

Qui verò infirma valetudine, aut aliqua alia iuſta cauſa cibos vetitos veſci ieiuniorum tempore licentiam habuerit, id vt publicè nõ faciat;Parochi monebunt. Fides autem infirmæ valetudinis manu Paro-

Parochi, & medici ſignata, vbi comodè Medicus haberi poteſt, alioquìn ſolius Parochi nobis, vel Vicario noſtro præſentetur, & probetur; licentiaq́. infra eam ſcribatur, quam duraturam ex nunc declaramus, vſque dum infirmitas durauerit, etiam ſi ad longius tempus conceſſa fuerit; moneantur tamen ieiunantes, vt cum abſtinentia carnis, & cæterorum ciborum perpetuam totius vitæ ſobrietatem coniungant.

De extrema Unctione. Cap. I.

HVIVS ſacramenti miniſteriũ ad ſolum Parochum pertinet, & eo legitimè impedito, per alium ſacerdotem de ipſius licentia, qui, ſi fieri poteſt, à confeſſionibus ſit, miniſtrari poteſt; deferatur vas in burza precioſa, à collo deferẽtis pendente, præcedente Cruce, & alijs, ex manualis ſacramentorum præſcripto, requiſitis; ſacerdoſq́. ipſe tecto deferat

capite, ad differentiam deferentis ſacramentum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ.

Cap. II.

DOCEATVR populus, quòd, dum per orationem fidei, infirmis adhibetur, per diuinæ virtutis operationem cõtra corporis infirmitates, & terrores, conſcientiæ alleuationem, & hilaritatem ritè ſumentibus præbet, leuiora peccata tollit, & grauiorum reliquias expurgat.

Cap. III.

CVM Parochus accerſitur, curet propè ægrotantis lectũ menſam paruulam, candida tobalea ſtratã, præparari, in qua poni poſſit vas ſacri olei, & bombix, ſeu ſtuppa pro abſtergendis vnctionibus; ſitq. mica panis pro digito-

gitorum abſterſione, & vas aquæ ad manus lauandas.

Cap. IV.

SACRAMENTVM hoc nõ eſt ſanis corpore miniſtrãdum, nec mare turbatũ ingreſſuris, etiã ſi immineat euidens periculum mortis, nec prælium commiſſuris, nec capite dãnatis, nec deniq. infantibus, nondum uſum rationis habentibus; non tamen eſt denegandum ijs, quibus mortali uulnere accepto, periculum mortis ſuperſtet, ſiue febre correpti, ſiue ex uulnere tantùm moriantur, etiam ſi confiteri peccata, & Euchariſtiam ſumere nõ potuerint, dũmodò ſigna cõtritionis oſtẽderint.

De Sacramento Ordinis. Cap. I.

COmmonefaciant Parochi pueros,& alios,qui Chriſti militiæ aſcribi,& in illius ſortem uocari uoluerint, eos nō admittendos eſſe, niſi priùs inter cætera ſcitu neceſſaria, prima quoq. fidei rudimenta benè cognouerint; doceantq. eos, collatione ordinum ordinatis poteſtatem diuinitus conferri, quò ad Eccleſiaſtica munera rite, & utiliter exercenda,apti,& idonei efficiantur, & hanc gratiam eſſe ordinis, & muneris, non hominum, aut perſonarum: ideoq. in ritè ordinatis,ſiuè boni,ſiuè mali ſint, efficacem eſſe, & eſſe omnibus æqualem.

Ex Cōc. Magun. c. 35.

Cap. II.

CAVTI ſint Parochi, nè in facienda fide, uel ætatis, uel patrimonij ordinandorum, affectu humano moti,

moti falſum teſtificẽtur; Quòd ſi fecerint, ſe grauiter deliquiſſe, & peccatis alienis maximè communicare ſciant : moneant itidem teſtes, qui factis denũciationibus in Eccleſia, ut moris eſt, deponere habẽt, ut uera deponant, ſub pœnis à iure ſtatutis, & pro ijs denunciationibus ordinandorum nihil exigatur.

Cap. III.

QVI antè ætatem in Concilio Tridentino definitam, uel extra tempora ab Eccleſia ſtatuta, uel ſine dimiſſorijs noſtris, uel cum illis fictitijs, deprauatis, aut abraſis ſe ꝓmoueri fecerint; ipſo iure ſe ſuſpenſos eſſe, ſciant, & ſi ſuſceptum ordinem exercuerint, iuxta Pij Secundi conſtitutionem irregularitatem cõtrahent.

Cap. IV.

CLERICI tam vrbani, quam diœceſani ſingulis Dominicis, & feſtis diebus ijs Eccleſijs in diuinis officijs inſeruiant, quibus in ordinatione adſcripti fuerunt; huius autem rei, qui ad ſuſcipiendos alios ordines venerint, bonum Parochi teſtimonium habeãt; alioquin ad ſuperiores ordines, etiam ſi aliàs digni ſint, non admittentur.

De Sacramento Matrimonij.

Cap. I.

PRAETER ea, quæ Parochus habet in Diœceſana Synodo aliàs citata, ſæpe in Eccleſia inſtruat mulieres, nè ſe illudi ſinant, clandeſtina matrimonia celebrantes, doceantq́. non aliter matrimonium

nium contrahi poſſe, quàm mulieris in matrimonium collocandæ conſenſu, interueniente Parocho, in facie Eccleſiæ, præſentibus ſaltem tribus teſtibus; & qui aliter contrahere præſumpſerit, licèt poſteà illud promiſſione, fide, quìn etiam oſculo, & copula carnali confirmarint inter ſe, ſciant tamen irritum, & nullum eſſe, eoſque grauiter arbitrio noſtro puniendos.

Cap. II.

IN gradibus prohibitis nemo contrahere ſcienter in primis audeat, nam ab vxore ſeparabitur, & ſpe diſpēſationis carebit, iuxta Trid: decretum Conc: licetq. neceſſariæ denunciationes matrimonium præceſſerint, & interuenerint etiam capitula matrimonialia; caueant tamen futuri coniuges, nè copulentur ſub pœna excommunicationis, alijſq. ar-

bitrio noſtro infligendis;neq́. vir domum mulieris, niſi poſt contractum ritè matrimonium, adire audeat.

Cap. III.

VT, quod voluntarium eſſe debet,coactè nõ fiat; præcipimus omnibus Parochis, vt diligẽter inquirant,an matrimonium cõtracturi ſponte, vel vi,aut metu ad contrahendum accedant; quòd ſi coactos eos ad hoc venire, repererint, eorum coniũctioni nullo pacto interſint, neq́.alteri in hoc vices ſuas committant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio,& beneficio arbitrio noſtro,ſi cõtrafecerint.Nec etiam vagantium matrimonijs interſint, ſed habita teſtimonialia,eos alibi coniũctos matrimonio nõ eſſe, ad nos trãſmittant,vt,quod iuris fuerit,eiſdem demandare poſſimus.

Cap.

Digitized by Google

Cap. IV.

REGVLARES animarum curam non gerentes, nec ſponſis, nec etiam mulieribus, à partu adEccleſiam venientibus, benedictionem impartiãtur; nec ſe in ijs, quæ ad Parochum ſpectant, vllatenus immiſceant, ſub pœna excommunicationis in quolibet prædictorum.

Cap. V.

VBI de contrahendo matrimonio tractatum fuerit, ad illius denunciationes Parochus ne deueniat, illorum non habito conſenſu, de quorum matrimonio agitur, ſeu parentum, quorum cõſenſus, licèt neceſſariò non requiratur, eſſet tamen de honeſtate petendus; Qua propter monendi ſunt filij, vt patribus inſcijs, aut inuitis inire matrimoniũ,

aut

aut quicquam rei ſeriæ inchoare nolint: Quòd ſi diuerſarum Parochiarum ſint cõtrahentes, denunciationes ab vtriuſq. Parocho fiant, nec in matrici tantùm Parochia, ſed etiam in alia, vbi populus frequentior adeſſet; Quarum denunciationum ſponſæ Parochus fidẽ habeat, eamq. in libro matrimoniorum referat.

Cap. VI.

CAVEAT Parochus, ne ipſa vltima denũciationis die ſponſos matrimonio iungat, nè ex hac celeritate impedimenta ſcientibus reuelandi intercludatur via; Vbi verò aliud neceſſitas poſtulabit, re nobis delata, in antecedenti denunciatione populo denunciet, ſtatim poſt vltimam denunciationem ad matrimonij celebrationẽ eſſe deueniendum; eoſq. moneat, pari excommunicationis pœna, præter alias à iure inflictas, feriendos eſſe, qui

qui vel prætermittunt impediméta, quæ ſciunt, reuelare, vel falſa aliqua malitioſè proponunt: interim verò hortentur coniuges, vt antequàm ſacerdotalem matrimonij benedictionem recipiant, peccata cõfiteantur, & ſacra communione, ſaltem triduò antè reficiantur, vt gratiam, quæ per matrimonij ſacramentũ datur, nullo obice dignè conſequantur.

Cap. VII.

SCiãt Parochi impedimentum, qđ propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium poſtea factum dirimit, primum, & ſecundum gradum non excedere: impedimentum verò publicæ honeſtatis nõ extendi vltra primum gradum, iuxta Conc. Trid. decretum, & Pij Quinti cõſtitutionem, quod incipit (Sanctiſſimus in Chriſto Pater) vbi verò quintum gradum attingunt, licèt diſpenſatio non requiratur, ad nos tamen pro horum graduum declaratione, accedant.

Cap. VIII.

IMpedimentum, quod oritur ex baptiſmo, & confirmatione, in quibus gradibus
Seſſ. 24 c. 2. impediat, matrimoniũ Tridentina ſanctio rectè declarat: cætera impedimenta de iure antiquo iam ſublata ſunt, vt nunc matrimonium liberè contrahi poſſit inter ipſum baptizatum, vel confirmatum, & tenentis filiam, ac etiam inter tenentis vxorem viduam, & baptizati, vel confirmati fratrem, & ipſum baptizatum, vel confirmatum.

Cap. IX.

NVPTIAE interdicuntur ab aduentu Domini vſq. ad diẽ Epiphaniæ, & à feria quarta cinerum uſq. ad octauam Paſchatis incluſiuè.

Cap. X.

SI denunciationibus factis, matrimoniũ poſteà nõ ſequatur, aliquodq́. tempus, ut bimeſtre, tranſiuit, & poſteà iterum celebrari petitum fuerit; tunc denuò denunciationes ne fiant, ſed tale matrimonium cũ noſtra facultate celebretur: moneant Parochi, ſicut nos etiam monemus, dominos temporales, nè directè, uel indirectè ſubditos ſuos, aut alios cogãt, quominùs liberè matrimonia contrahãt; alioquìn in excommunicationis ſententiam, prout in Conc. Trid. decernitur, ſe ſeſſ. 24. c. 9. nouerint incidiſſe.

Cap. XI.

IN Monaſterijs monialium, nuptias benedici omnino prohibemus. Miſſam pro ſponſo, & ſpõſa iuxta Miſſale Romanum à Pio

Quinto

Digitized by Google

Quinto reformatum proprius contrahẽtium Parochus , vel alius de ipſius , vel noſtra licẽtia ſacerdos apertis ianuis celebret; abuſu Miſſæ, quam vocant, ſicca, prorſus auulſo : pœna excommunicationis latæ ſententiæ proponitur ijs, qui ad matrimonia impedienda , vel dirimenda veneficia,ſeu faſcinationes adhibent,aut alia ſimilia; itemq́. ijs, qui verbis improbatis , & ſuperſtitioſis in illis ſoluendis vtentur . caueat Sacerdos , nè ſecundas nuptias benedicat,virgo tamen,vel nondum benedicta, benedicatur.

Cap. XII.

PAROCHI omni vigilantia inquirant,ſint nè in eorũ Parochijs concubinarij , aut aliqui, qui non celebrato ritè matrimonio , viuunt cum eis,quas per capitula matrimonialia ducere promiſerunt , & ſi adeſſe compererint,compellant,eos,vel,vt domo eijciãt,

vel cum eis nubant; quòd ſi id facere noluerint, nobis ſignificent, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & beneficio, vt in concubinarios anathematis mucrone, alijſq. pœnis ſeuerè animaduertatur.

De tollendis quibuſdam abuſibus. Cap. I.

CHRISTIANO nomine indignum eſt, dum ſacra peraguntur, fideles vanis rebus incumbere; quare decernimus, dum in Quadrageſima, & omnibus feſtis diebus diuina fiunt, aut verbũ Dei prædicatur, ab omnibus apotechas eſſe claudendas, & tabernas non ex Prouin. Beneuen. 2
niſi pro viatoribus eſſe aperiendas; nec etiam eo tempore aliquod genus ludi exerceatur, aut choreis, tripudijs, & his ſimilibus vacetur; & Parochi locorum, etiam magiſtratuũ ſæcularium, vt ab his tali tempore abſtineri faciant, auxilium implorent.

Digitized by Google

Cap. II.

ABVSVM deferendi domũ cereos in feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, ex decreto Prouincialis Synodi iam credimus eſſe ſublatum; ſi verò adhuc uiget, tollimus omnino, præcipimuſque Parochis, nè eos cereos, niſi ijs, qui in Eccleſia præſentes fuerint, tradant, qui etiam accendantur, & in proceſſione deferantur non ſine ſanctiſſima myſteriorum ſignificatione: Illis tantùm dari liceat poſteà in Eccleſiam uenientibus, qui ſæpè ad Eccleſiam conuenire ſolent, ſed tunc, uel infirmitate, uel alia legitima cauſa non potuerunt.

Cap. III.

CVM Eccleſia Dei domus ſit Orationis;laycorum conuentus, & conſilia, aliaſq́, profanas tractationes,& negotiationes in ea fieri prohibemus;ſimulque,vt ſacris campanis,quæ pro conuocando ad ſacra populo inuentæ fuerunt, populus ad conuocandum pro rebus publicis hominum conuentus vtatur; quod etiã Prouinciali Synodo prohibetur; ſicut ptohibetur, nè laycorum ſodalitates in Eccleſijs ſcamna quædã præalta,more Tribunalium, habeant, in quibus priores ſodalitatum pro eorum negocijs reſideant; & cum id indecentia quædam ſit,vt tollatur, parochi curabunt.

Cap. IV.

ABVSVM etiam illum, vt Eccleſiarum Rectores, vel ſodalitatum, aut aliorum piorum locorum miniſtri à Baronibus

Digitized by Google

vel vniuerſitatibus cogantur ad perſoluenda præmia quædam pro curſoribus, vel luctantibus, aut ſimilibus, quæ pallia appellantur, tollimus; prout etiam ex decreto Prouincialis Synodi ſublatus eſt, pœna excommunicationis etiam ſponte ea perſoluentibus propoſita.

Cap. V.

ALTARIS irreuerentia eſt, quod in quibuſdã locis fieri audiuimus, vt laicis puluinaria, quibus in ſacro faciẽdo Miſſale adhæret, vt in eis genua flectant, à Clericis ſupponantur; id cum laycorum pietas ferre non deberet, nè amplius fiat, mandamus.

De

Digitized by Google

De vita, & honeſtate Clericorum. *Cap. I.*

DE vita, & honeſtate Clericorũ, inhærẽdo ſacris ſanctionibus, hæc decernimus, vt Clerici, qui in ſortẽ Domini vocati, hæreditas Domini facti ſunt, & per Clericalem ordinem, neceſsitatẽ benè viuendi, non licentiam peccandi aſſequuti ſunt; eam vitam agant, vt cęteris exemplo eſſe poſsint; caueantq́; nè contra per vitæ exẽplũ laqueus ſint fidelium animabus, in inceſſu honeſtatem exhibeant, vt grauitate itineris mentis maturitatem oſtendant; nam incompoſitio corporis, riſus diſſolutus, indecens oculorum vagatio, inæqualitatem indicat mentis.

Habitum, & tonſuram ordini, graduiq́. conuenientem, ſemper geſtent; ſed celebrantes ſuperioris labij pilos, ita detonſos gerant, vt in ſumptione Sanctiſsimi Sacra-

menti impedimento non ſint, nec etiam eos, Clerici nondum Sacerdotes tali modo excreſcere ſinant, vt retorti,& hirſuti ſint,more,(vt dicunt)Turcarum.

Bireto Clericali ſemper utantur; at in itinere, vel frigoris, aut infirmitatis cauſa, vti poſſint pileo,qui nigri ſit coloris,ſimplex,non in acutum tendens,et honeſtæ latidudinis.

Veſtis interior,& exterior vtraq. ſit vſq. ad talos oblonga.

Pallio vulgò, feraiolo, vt clericali conuenit honeſtati,ad frigoris, et pluuiæ iniurias propulſandas vtantur.

Veſtẽ interiorẽ nunq̃ deponãt niſi in itinere, et tunc ueſtis ſit, vt ſaltem infra genua pendeat, vt ex ipſa,clericos eſſe,cognoſci, poſsit.

In veſtitu affectatas ſordes, et exquiſitas munditias fugiant.

Si peregrinandum eis ſit,nũquã ſine dimiſſorijs noſtris, uel Vicarij Noſtri, etiam ſi beneficium ſimplex tantùm habeant, diſcedant.

Annu-

Digitized by Google

Annulos in digitis nè geſtent, niſi cauſa dignitatis, vel honoris; nec caligis turgidis, nec diſſectis, aut alterius coloris, q̃ nigri, vel albi vtantur, vel, vt pro locorũ, et perſonarum qualitate, duximus permittendũ: concilium Lateranẽſe rubrum, & viridem colorẽ omnino prohibet; nec calceis, crepidisq̃. inciſis, aut ſericis, ſed integris, et ſimplicibus.

Interulas non corrugatas ad collum, vel manus, nec pictas, ferant, ſed ſimplices, vt clericalem decet honeſtatem; nè turpes aut amatorias depromant cantilenas; ſeu cantantibus adſint.

Arma quæcunq̃. nè deferant, cum clericorũ arma ſint orationes, et lacrymæ; excipiuntur ab hac prohibitione cultelli ad domeſticum vitæ vſum accomodati: caueant præthereà, ne ſint receptatores, aut fautores exulum, ſeu bãnitorum ſub poenis non ſolùm à ſacris ſanctionibus, et Bullis ſummorum Pontificum, ſed etiam aliis arbitrio noſtro irrogandis.

Omnino baliſta, haſtis, et ſclopeto, telis,

alijsq. huius generis inſtrumẽtis ipſis interdicimus.

Perſonati non incedant, comedijs, fabulis chorejs, haſtiludijs, alijsq. profanis ſpectaculis, nec, vt actores interſint, nec vt ſpectatores; comediæ latinæ aliquando permittentur.

Talis, teſſeris, pictis pagellis, globo miſsili, omnino abſtineant; ſed pila parua palmari, et globis, qui malleis ligneis impelluntur, publicè nè ludant.

Minùs honeſtis conuiuijs nè interſint; nevè ad bibẽdum ad æquales hauſtus quẽquam incitent, ſeu incitati acceptent, ſed ſobriè, et piè uiuant.

Cauponas, aut tabernas, niſi in itinere non ingrediantur; nec in tonſtrinis, vel aromatarijs, vel alijs vendentium officinis ocioſè verſentur ad nugãdum, nam nugę in ore ſacerdotis ſunt ſacrilegium, vt dixit Chriſoſtomus.

Ex reform. Ratis bon. cleric. Germ. nu. 3.

Sciant miniſtri altaris, qui ſacris functionibus operã ſuam adixerunt, nihil ęquè eis conuenire, quàm caſtimoniam, nam

qui

qui concubinis adhęrent, hominum sũt indigni conſortio.

Nullum venationis genus à ſacris canonibus vetitum exerceant; non canes, non accipitres, aut vllum venaticum animal alant, cum beatus Hieronymus dicat; Eſau venator erat, quia peccator erat.

Mercaturam nè exerceant; neque in agendis negotijs, vel vẽdẽdis, aut emendis rebus vt interpretes interueniant.

Aliena prædia, niſi cum noſtra licentia, nè conducãt; pro aliis nè ſpondeant, niſi de rebus patrimonialibus.

Laicorum, et magiſtratuum negotia nè procurent, niſi de noſtra licentia; vel cum cauſa, à dignitate ſacerdotali non aliena, id poſtularit.

Nullas mulieres, etiam nobiles cõmitentur, neq̃. illis ad menſam aſsiſtant officij cauſa; impudicarum verò, et ſuſpectarũ quacunq̃. occaſione conſortium fugiant.

Clericus ſacris initiatus, aut beneficio eccleſiaſtico præditus coram Iudice ſęculari nè agat; cauſas, ſub ꝓcuratoris, vel ad-

uocati nomine; excepto, ſi ipſe in iudicio ab alijs vocatus, cauſam ſuam, vel ſuæEccleſiæ,vel ſuorũ,aut etiam miſerabilium perſonarum agat, et tunc facultate à nobis priùs, ſcripto conceſſa, id faciat.

Nè aliorum tutelam, aut curam ſuſcipiant; officio tabellionis nè fungantur; arte medendi abſtineant; operas ſuas alteri mercedis gratia nè locent; ſed ad fugiendum otium, vel ad quærendum uictũ, quę tamen diuina eis nõ impediant,manibus ſuis operari eis concedimus.

Si in famulatu ſint eccleſiaſticarũ perſonarum,uilia munera,quę clericalem dignitatem deturpent,nè exerceant.

Quicũq.in aliquo ſupradictorũ deliquerint præter poenas à ſacris canonibus irrogatas, alias etiam pro perſonarum ratione,et delicti contumacia arbitrio noſtro ſubibũt;Quò ad vero ſæculares negotiationes,ſi ter admoniti,prout intra triginta dies, quorum decẽ pro primo, decem pro ſecundo,decem pro tertio, et perem

pro-

ptorio termino, poſt pſētiū publicationē peremptoriè aſsignando, admonemus, vt ab illicitis negociationibus omnino abſtineāt, nō reſipiſcēt, præter alias pœnas, iuxta Honorij III. decretū, circa eorum bona clericale priuilegiū amittent.

Quoniā verò ſcribit beatus Hieronym⁹: Studia ſcripturarū vitia carnis expellūt, ſatagere debēt clerici manētes in vocatione, qua vocati ſunt in ſacrorum librorum lectione; pręſertim verò, qui cōmodè præſtare poſſunt, habeant vtrunq. teſtamentum, Romanū Catechiſmū, Conc. Trid. has Synod. Cōſtitutiones, et aliquem tractatum de ſacramētis, aliosq. libellos ſpirituales; ij vero, qui habent curam animarum, vel à confeſsionibus ſunt vltra prædictos habeant etiam aliquam ſummam caſuum conſcientiæ.

Clerici tàm vrbani, quàm diœceſani ſingulis dominicis, et feſtis diebus in Ecleſijs in diuinis meminerint inſeruire, quibus in ordinatione adſcripti fuerunt an autem hoc obſeruetur, ſingulis ſaltem tri-

bus

bus mẽſibus rectores eccleſiarũ, in qua conuenire deberent, nobis ſignificent; viſis prius bullis ordinatorum, pro cuius eccleſiaſtico ſeruitio ordinati fuerunt; ſimiliter etiam, ſi in habitu, et tonſura clericalibus incendant, et vitam, vt clericos decet, agant, vt opportuno, ſi contrafecerint, per nos remedio prouideatur: Tandem clerici omnes in conuerſatione cum laycis, ita ſe habeant, vt neque ex nimia familiaritate cõdẽnantur, nec ex nimio fauſtu, aut pompa ſuperbi uideantur.

De Seminario Clericorum.
Cap. I.

IN Seminario ciuitatis Beneuentanæ quod à bon. memoriæ Cardinali Sabello erectum, ab ipſoq. et à nobis cenſibus, & habitationibus auctum eſt; præcipuè pauperum filios, qui bona indole vtiles ſe eccleſiæ fore demõſtant, eligi intẽdimus; nec tamen ditiores

Concil. Trid. de Semin.

res

res excludimus, dummodo ſumptu ſuo alantur.

Pro adoloſcentium, & loci huius regimine regulę ab eodēmet Iacobo Cardinali in erectione traditæ, quæ incipiunt (Sappiano tutti) Rector Seminarij ꝑ tēpore, vt omnino ſeruentur, enixè curabit; ad nos de ſtatu Seminarij ſemper referēdo, namq. diſcolos, et incorrigibiles etiā; ſi opus fuerit, expellemns.

Magiſter ſcholæ eos legat Auctores, quos pro linguæ Latinæ elegantia vtiles cognouerit, ex quibus aliquid etiam pro informādis adiſcentium animis probatis moribus, ſæpe eruat: auctores obſcœnos, & minus vtiles penitus abhorrendo, Catechiſmus vero numquam intermittatur.

Vt locus in Seminario ab aliqubus, Eccleſiaſticæ diſciplinæ minùs aptis, non occupetur; decernimus ſingulis tribus mēſibus fieri examen diſcipulorum coram nobis, vel Vicario, vel Auditore noſtro, per aliquem à nobis deputandum, qui illorum progreſſum in litteris, aut inhabilitatem inquirat.

Pecuniæ omnes Seminarij, tàm, quæ numorum exactione, quàm, quæ frumenti venditione proueniũt, penes Depoſitarium, in Synodo electum, deponantur, qui nemini ſoluat niſi habito (vt vocant) mandato Deputatorũ Seminarij manu ſignato: idem ſeruet cuſtos frumentorum Seminarij, ad nosq́. referatur de omnibus: frumentum Seminarij non poſſe vendi, decernimus, niſi præſente vno ex Deputatis Seminarij, pecuniaq́. ad Depoſitarium ſtatim deponatur; quod etiam obſeruet exactor numorum, quem Commiſſarium vocant.

Curabunt deputati Seminarij, vt de neceſſarijs pro loci ſubſtentatione, & tempore prouideatur, quo mitiori precio haberi poſſint, alioquìn, bonæ adminiſtrationis apud Deum mercedem amittent, apud nos verò negligentiæ notam non effugient.

Vt autem rebus Seminarij, & illius neceſſitatibus, quantùm fieri poteſt, conſulatur; decernimus prima die Iouis cuiuſcumq́. Men-

Menſis congregari coram nobis, vel Vi-
rio noſtro Deputatos, Rectorem, & alios
Miniſtros Seminarij de ſtatu illius, re-
buſq. neceſſarijs diſserturos, & diſcuſſu-
ros, vt tam pij loci conſultò res agatur.

Vtq. ſcripturæ Seminarij benè conſeruen-
tur, mandamus Deputatis, vt in loco Se-
minarij ad id apto, Archiuium erigi cu-
rēt, in quo ſint omnes Seminarij ſcriptu-
ræ; præſertim verò bulla confirmationis
beneficiorum Seminario vnitorum, duo-
bus abhinc annis à Sixto Quinto fel. rec.
obtenta, & alia documenta ad Semina-
rium pertinentia; clauium, quas tres eſſe
volumus, pœnes Deputatos duæ conſer-
uentur, reliqua Rectori aſſignetur; ſicut
etiam claues omnes horrei, ſeu granarij,
pœnes Deputatos eſſe decernimus, vna
tantum aſſignata cuſtodi frumentorum,
qui, cum horreum aperire contigerit, cū
Deputatis ad ſit, quod etiā modò faciet
Rector, cum aperietur Archiuium: inter
cætera verò conſeruetur inſtrumentum
emptionis feudi, quod vocant Sancti An-
geli

geli del Peſco, quod præterito anno precio ſex millium ducatorũ Seminario emi curauimus, ab illis de Flore; & inſtrumẽtum alterius territorij, huic feudo contigui, etiam pro Seminario empto ab illis de Ceruio; conſeruentur etiam duo libri magni, in quorum altero ſint notata omnia beneficia, Seminario annexa cum illorum valore, bonis ſtabilibus, & mobilibus; ſimulq́ inſtrumenta cenſuum, & omnes alij cenſus, quomodolibèt Seminario prouenientes, & omnia bona mobilia Seminarij; altero, omnes impenſæ, tàm ordinariæ, quàm extraordinariæ, quæ in Seminario, vel ꝑ Seminario quomodolibèt à quolibet fiãt; qui liber impẽſarũ ſingulis annis in Synodo Sancti Bartholomei exhibeatur, & Synodo monſtretur.

Computus, tàm impenſarũ Seminarij, quàm exactionum, ſingulis annis per reuiſores computum in Synodo electos, aſſiſtentibus Deputatis, & Rectore coram nobis vel Vicario noſtro reuideantur & ſingulis hebdomadis, vel ſaltem ſingulis menſibus reuideantur per Deputatos.

De Eccleſiis, et earum cultu.

CVM Eccleſiæ domus orationis ſint, & domus Dei quam decet ſanctitudo; monemus omnes Eccleſiarum Miniſtros, vt in eis, qua decet deuotione, & ipſi verſentur, & cæteros adeſſe curent; præcipuè, cum celebrantur diuina, aut prædidicatur verbum Dei, omninò nè fiant de ambulationes, nugæ, & hominum circuli, profanaq́. negocia euitentur, ſimulq́. alloquutio cum mulieribus ſuſpectis.

Altaribus, baptiſmi, aut aquæ benedictæ fontibus nè adhæreant; in limine antè fores nè ſtetur.

Aduerſus cuſtodiam Sanctiſſimi Sacramenti, irreuerenter nè ſedeatur; cum Miſſa eleuatur ab ullo nè ſtetur, laici, & fœminæ Chorum nè ingrediantur, præſertim officiorum tempore; pauperes, qui ſæpe, vel importunis petitionibus, vel vlcerum aſpectu, ſacris dātes operam, turbant, in

aſpe-

Digitized by Google

loco apto antè fores Eccleſiæ locentur, vt ſibi eleemoſynas quærere poſſint.

Nemo cum venaticis canibus, aut volucribus, vel cum haſta, vel ſclupeto, baliſta, alijſq. huius generis armis, Eccleſiam ingrediatur.

In Eccleſijs, vel cappellis, paleæ, ligna, frumenta, vel quæuis inſtrumenta ruſtica, vt aſſeruentur, nè ponantur, iuxta decretum Innocentij III. in Conc. Lataranen. nec ſcholæ Grãmaticæ, vel humanarum litterarũ in eis fiant, ſed lectiones Theologicæ in eis haberi poſſint.

Qui in aliquo horum delinquerit, per Rectores locorum moneãtur, & niſi paruerint, etiam per expulſionem ab ingreſſu Eccleſiæ ad obſeruandum prædicta cogantur, vel ad nos deferatur.

Pernoctationes, aut vigiliæ in Eccleſia nè fiant, ſed hora competenti claudatur; nec in eam vllus, præter ſacerdotes, de nocte admittatur, vel neceſſitatis gratia, ad aſſociandum ſanctiſſimum Sacramentum, & ſacrum Oleum pro infirmis, & niſi no-

ĉte Natalis D. N. Ieſu Chriſti,cum officium, & Miſſa celebratur.

De immunitate Eccleſiarum.

IMMVNITAS Eccleſiaſtica Dei præcepto, & Canonicis ſanctionibus, ac etiam ciuili iure introducta,inter cætera in duobus potiſſimùm conſiſtit; primùm, vt Clerici, illorumq́. poſſeſſiones, & bona à vectigalibus, & tributis, alijſq́. quibuſcumq́. muneribus laycis libera ſint; deinde nè rei criminis, ad Eccleſias confugientes, inde violenter extrahantur; exceptis publicis latronibus, qui per induſtriam proximũ occiderint, ac nocturnis agrorum depopulatoribus, quiquè itinera inſidijs aggreſſionum obſident, & deniq́. ijs,qui ſub ſpe immunitatis in Eccleſijs, ſeu locis ſacris delinquunt; quòd ſi huiuſmodi delicta commiſſa fuerint à confugientibus ad Eccleſias,& eos Reipublicæ interſit puniri; ni

Ex Conc. Later. c. nō minus Ex gene. c. aduerſus de Imu. Eccl. & Conc. Tolet. 3. cap. Eccleſ. 12. q. 2.

K hilo-

hilominùs ſaltem debet poteſtas ſęcularis tantiſper à manuum iniectione abſtinere, quouſq. Rector Eccleſiæ conſulat noſtros Officiales; quod hortamur laicalem poteſtatem, vt permittat, ne neceſſè ſit ad promulgationem cenſurarum Eccleſiaſticarum contra eos, ſi ſecus fecerint, deuenire, iuxta Bullã Gregorij XIIII. de immunitate Eccleſiaſtica, quæ eſt tenoris ſequentis.

GREGORIVS EPISCOPVS Seruus Seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CVM aliàs, nonnulli Prædeceſſores noſtri, & præſertim fel. rec. Sixtus Papa Quintus, nec non Pius Quintus, Sancto zelo ducti, diuerſas facultates, & indulta extrahendi, etiam in caſibus quibuſdam à iure non permiſſis, ex Eccleſijs crimi-

criminoſos, & delinquentes, compluribus, ſæcularibus Principibus, eorumq; Curijs, & Magiſtratibus, ſub varijs modis, & formis conceſſerint, prout in illis pleniùs continetur. Experientia poſtmodùm docuit, tùm ob diuerſitatem, & differentiam huiuſmodi indultorum, tùm quia pleriq. eorundem Principum Miniſtri, ex hoc ipſo illa diuerſimodè, etiam latiùs, quàm par erat, & ad ſuum libitum interpretandi, occaſionem arripuerunt, illiſq. abuti cœperunt; ſubortam eſſe non mediocrem in aliquibus locis, libertatis, & immunitatis Eccleſiaſticæ perturbationem, & confuſionem; alibi verò, ne ipſos quidem laicos Indultis huiuſmodi vti voluiſse, aut potuiſſe, quòd Populis, inueterata erga Eccleſias reuerentia, deuotis, & aſſuetis, ſcãdali potiùs, q̃ quietis occaſionem præberent. Illud etiam abſurdum ſæpenumerò ſecutum eſt, vt infimæ interdum conditionis laici, non modo iuris, ſed etiam literarum penitus ignari, & imperiti, dũ, quaſi poteſtates, aut miniſtri Curiæ ſæcularis in aliquo Caſtro, aut Op-

pidulo iuriſdictionem exercebant, facultatum, & indultorũ huiuſmodi limites longè exceſſerint, eaq́. ſuo arbitratu in ſenſus minùs rectos, & ab intentione concedentis, omnino alienos, detorſerint, & illorũ prætextu, quicquid ſibi in mentem venit, attentare præsũpſerint; in graue iuriſdictionis, & immunitatis Eccleſiaſticæ præiudicium, locorum, & perſonarum diuino culti dicatatarum contemptum, ipſius diuinæ Maieſtatis offenſam, & ſcandalum plurimorum. Quarè pro commiſſo nobis à Domino Paſtoralis officij munere, prædictis abſurdis, & ſcandalis obuiare, ac differentias huiuſmodi ad vniformem regulam reducere, omnemq́. dubitandi, ac perperam interpretandi occaſionem dilucida declaratione, ſubmouere, abuſus tollere, & nè Eccleſiaſtica iura planè conculcentur, & negligantur, opportunè prouidere decreuimus; proùt etiam dictus Sixtus Prædeceſſor noſter ijſdem de cauſis motus ſtatuere decreuerat, licèt morte præuentus, hoc adimplere nequiuerit: ita tamen, vt quando præſens

tem-

temporum calamitas, & nimia, quæ iam inualuit peruerſorum hominum, malitia id expoſcit, aliquid, etiam ad terrorem delinquentium, & ad coërcenda illorum facinora; vltra id, qđ priſca illa maiorum noſtrorũ diſciplina, & vetus ſacrorum Canonum norma præſcripſerat in quibuſdam caſibus, congrua moderatione adhibita, permittamus. Hac itaque noſtra perpetuò valitura conſtitutione, omnia, & quæcumque priuilegia, indulta, & gratias, tam per prædictum Sixtum, ac Pium Quintum, quà alios quoſcunque noſtros Prædeceſſores, aut noſmetipſos, Sedemq́. Apoſtolicam, eiuſùe Legatos, ſuper abducendis, vel extrahendis ab Eccleſijs, Monaſterijs, Sacellis, domibus regularibus, & ſæcularibus, locisùe ſacris aut Religioſis, aliàsq́. in caſibus à iure permiſſis, hominibus certorum, tunc expreſſorum, vel non expreſſorum criminum, reis, aut fraudolentis decoctoribus, etiam in odiũ certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex cauſis vrgentiſſimis, ac neceſſarijs, & æquipollentibus

caſibus in iure expreſsis, atque ex paritate, identitate, aut maioritate rationis extenſis, perpetuò, vel ad certum nondum elapſum tempus, ſeu ad vitam alicuius Principis, aut beneplacitum, ſeu aliàs quomodo libèt cōceſſa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus, approbata, & innouata, ac vſu recepta, literasq; Apoſtolicas ſub plumbo, aut in forma Breuis, ſeu aliàs quomodocunque deſuper confectàs, quarum tenores hìc haberi volumus pro expreſſis, ac ad verbū inſertis, ſublata penitus omni differentia; ita ad vnam tantùm formam reducimus, & moderamur, vt laicis, ad Eccleſias, locaq; ſacra, & religioſa prædicta, confugientibus, ſi fuerint publici latrones, viarumq. graſſatores, qui itinera frequentata, vel publicas ſtratas obſident, ac viatores ex inſidijs aggrediuntur, aut depopulatores agrorū, quiuè homicidia, & mutilationes membrorum in ipſis Eccleſijs, earumuè Cemeterijs committere non verentur, aut qui proditoriè proximum ſuum occiderint, aut Aſſaſſini, vel hæreſis, aut læſæ Maieſtatis in perſo-

nam

nam ipſiuſmet Principis rei, immunitas Eccleſiaſtica non ſuffragetur: Sed vniuerſis & ſingulis Venerabilibus Fratribus noſtris Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, cæteriſq; Eccleſiarũ & Monaſteriorum Prælatis, tam ſæcularibus, quàm cuiuſuis ordinis regularibus, diſtrictè pręcipiendo mandamus, & præcipimus, vt laicos in caſibus prædictis delinquentes ad eorũ Eccleſias, Monaſteria, domos, & alia loca ſupradicta ſacra, ſeu Religioſa reſpectiuè confugientes, & in eis ſe recipientes ;atq; morantes, q prædicta delicta, eorũue aliqđ, iudicio ſuo commiſiſſe videbuntur, quando à Curia ſæculari fuerint requiſiti, & quilibet eorũ fuerit reqſit⁹, Miniſtris, & Officialibus Curiæ ſæcularis abſq. irregularitatis nota, aut alicuius cenſuræ Eccleſiaſticæ incurſu tradi, & conſignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet & faciat. Nè autem Curia ſæcularis prædicta Miniſtri facultate illos per ſe, & propria auctoritate extrahendi, & abducẽdi ſibi olim, vt præfertur, attributa, & per præſentes reuocata, abutantur,

Volumus, dictaq́. auctoritate decernimus, & declaramus, vt Curia ſæcularis, eiuſque Iudices, & Officiales, ab Eccleſijs, Monaſterijs, locisque ſacris prædictis laicum aliquem, vt præfertur, delinquentem in nullò ex caſibus ſupradictis, ſine expreſſa licentia, Epiſcopi vel eius officialis, & cum interuentu perſonæ Eccleſiaſticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos ſolos, & non alios, Epiſcopis inferiores, etiam ſi aliàs ordinarij ſint, aut nullius diœceſis, aut Conſeruatores ab hac ſede ſpecialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi, facultas pertineat: occurrente autem caſu in loco exempto, & nullius diœceſis, tunc ad Epiſcopum viciniorem deuoluatur hæc cognitio, & non ad alios: capere, extrahere, aut incarcerare non poſſint, niſi eo caſu, quo ipſe Epiſcop⁹, & dictæ perſonæ Eccleſiaſticæ requiſitę illos in delictis ſuperiùs expreſsis culpabiles tradere, aut capturæ, & carcerationi interuenire, & aſſiſtere recuſauerint; tuncq́. reuerentiæ Eccleſiæ, & locis ſacris debitæ memores

mores prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit cum ſcandalo,& tumultu,ex trahere curent.Quodq́ue delinquentes laici prædicti, poſtquàm, vt præfertur,ab Eccleſijs, lociſuè ſacris extracti,& capti fuerint ad carceres Curię Eccleſiaſticę reponi, & inibi ſub tuto,& firmo carcere,ac opportuna cuſtodia data illis, ſi opus fuerit, per Cu iam ſęcularem, detineri debeant, nec inde extrahi, Curiæq. ſæculari prædictę conſignari,nec tradi poſſint, niſi cognito priùs per Epiſcopum,ſeu ab eo deputatũ, an ipſi verè crimina ſuperiùs expreſſa cõmiſerint, tuncq. demum de mandato Epiſcopi per Iu dicem Eccleſiaſticum Curiæ ſęculari,quacunque appellatione poſtpoſita, conſignen tur. De crimine verò hęreſis;cognitio ad forũ Eccleſiaſticũ tota pertineat,neque in ea Curia ſęcularis ſe quoquomodo intromittat: Sicuti etiam prohibemus, nè contra Eccleſiaſticas perſonas ſæculares,aut cuiuſuis ordinis, vel militię ẽt S.Io:Hieroſolymitani regulares,quoquomodo ẽt vigore prædictorũ priuilegiorum,indultorum,aut con

ceſsio-

ceſſionum,quę omnia ad terminos iuris per
pręſentes reducimus, procedant, aut ſe in-
tromittant,illaſùe ab Eccleſiijs , Monaſte-
rijs , Domibus,locisq́;ſacris,aut religioſis,
etiam in caſibus in hac conſtitutione ex-
preſſis, extrahere, abducere,capere, carce-
rare, aut cognoſcere de criminibus ad forũ
Eccleſiaſticum pertinentibus , aliàs quàm
de iure, & per priuilegia eiſdem ordinibus
aut militijs conceſſa permittitur , quomo-
dolibèt pręſumant.Quòd ſi quis quacumq;
dignitate, & auctoritate pręditus , pręmiſ-
ſorum,aut alio quouis prętextu,quicquam
pręter,aut contra huius noſtrę conſtitutio-
nis tenorem attentare præſumpſerit,decla-
ramus eum ipſo facto , cenſuras , & pœnas
eaſdem incurrere , quæ contra libertatis iu-
ris, & immunitatis Eccleſiaſticæ,violatores
per ſacros Canones , & Conciliorum gene-
ralium , noſtrorumq́. Prædeceſſorum Con-
ſtitutiones ſunt promulgatæ.Sicq́.per quoſ-
cumque Iudices ordinarios , & delegatos ,
etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Audito-
res,& S. R. E. Cardinales,ſublata eis,& eo-
rum

rum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate in quauis cauſa, & inſtantia, iudicari, definiri debere; necnon irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his, per quaſcumque quauis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus præmiſſis, tam Sixti, & Pij Quinti, quàm aliorum quorumcũque prædeceſſorum noſtrorum Litteris Apoſtolicis, priuilegijs, indultis, & facultatibus, quibuuis perſonis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quauis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Rebuſpublicis, Dominijs, Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, Terris, & locis, eorumuè Curijs, Parlamentis, Senatibus, Conſilijs, Communitatibus, Vniuerſitatibus, Collegijs, aut Præſidentibus, Proregibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicarijs, Poteſtatibus, alijſq. Magiſtratibus, Officialibus, Miniſtris, aut Conſiliarijs, ex prædictis, vel alijs, etiam grauioribus & vrgentioribus cauſis; tam illorũ intuitu, & contemplatione, ſiue ad eorum preces, & inſtantiam, quàm etiam Motu proprio, & ex

certa

certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, ac per modum ſtatuti, & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & fratrũ noſtrorum conſilio, ſibi quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſuis præſeruatiuis, reſtitutiuis, mentis atteſtatiuis, derogatoriarũ, derogatorijs, alijsq. validiſſimis, & efficaciſſimis, & inſolitis clauſulis, necnon irritantibus, & alijs decretis, etiamſi inibi caueatur expreſsè, quòd illis, niſi ſub certis modis, & formis, & niſi de expreſſo eorum conſenſu, ad quorum fauorem conceſſæ fuerint, derogari poſſint, & aliter factæ derogationes nullius ſint roboris, vel momenti, & aliàs quomodolibèt conceſsis, etiam ſæpiùs approbatis, & innouatis: Quæ omnia, & ſingula, ac illorum tenores pro expreſſis habentes, quatenus præmiſſis in aliquo aduerſentur, aut plures, quàm ſuperiùs expreſſos, caſus contineant, auctoritate & tenore præmiſſis omnino, ac perpetuò tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præſentis Conſtitutionis, quò ad ſuperiùs deſcripta dumtaxat, reducimus: Et volumus cui-

cuiquam de cætero ſuffragari, & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali, vel ſpeciali, per quæ præſentibus non expreſſa, vel ad verbum non inſerta effectus earum quomodolibèt valeat impediri. Vt autem præſentes literæ ad omnium notitiam faciliùs deducantur; mandamus illas in Valuis Sancti Ioannis Lateranen. & Principis Apoſtolorum, Baſilicarum de Vrbe, necnon Cãcellariæ Apoſtolicæ de more affigi, & publicari, earum etiam exemplis inibi affixis, & dimiſſis, ac poſt publicationem huiuſmodi, volumus, & decernimus, vt omnes, & ſingulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac ſi eorum cuilibet perſonaliter intimatæ fuiſſent: earundem verò præſentium tranſumptis, etiã impreſſis, Notarij publici manu ſubſcriptis, eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique gẽtium, & locorum haberi volumus, quæ eiſdem originalibus litteris haberetur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hãc paginam noſtræ moderationis, præcepti, mandatorum de-

decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, ſublationis, abrogationis, & voluntatis infrigere, vel ei auſu temerario contraire; ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ, in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo, Nono Kal. Iunij, Pontificatus Noſtri, Anno Primo.

Occiſorum corpora in Eccleſia per curiã ſæcularem nè reuideantur; ſed ſi neceſſe ſit pro crimine detegendo, indè aſportentur aliò, cum non deceat in domo Dei res ſanguinis tractari; idq. de licentia noſtra, vel noſtrorum Officialium.

Con-

Digitized by Google

Contra occupatores bonorum Eccleſiaſticorum.

AMBITIOSAM hominum cupiditatē reprimere volentes ſummi Pontifices, grauiſſimas pœnas ſtatuerunt in bonorum Eccleſiæ occupatores, in quod flagitium maximè etiam Tridentina Synodus inuehitur: quare, vt nos quoq. perditum hoc genus hominum à ſacrilego hoc aucupio reuocemus, præcipimus, vt Parochi decretum Concilij ſuper hoc editum, & eam partem Bullæ Cœnæ Domini, quæ ad hanc rem facit, materno, vt infra ſequitur, ſermone, ſingulis dominicis diebus, in quadrageſima, & aduentu, populo recitēt; interim vero ſciant huiuſmodi homines, ſe in maledictione eſſe.

Decreto

Decreto del Concilio di Trento contra li occupatori delli beni Eccleſiaſtici.

Seſſ.22. c.2.

SE l'Auaritia radice di tutti li mali in tanto occuparà l'animo di alcuno Chierico, ò laico di qualunq. dignità riſplẽda, anco Imperiale, ò Reale, che preſuma per ſe, ò per mezzo di altri, cõ forza, ò con timore, ò vero ancora per ſuppoſite perſone di Chierici, ò Laici, ò vero con qualſiuoglia arte, ò procurato colore cõuertire in proprij vſi, & occupare, ò impedire, che non ſi riceuano da coloro, à chi di ragione toccano, le giuriſdittioni, beni, & ragioni anco feudali, & emfitiotiche, frutti, emolumenti, ò vero qual ſiuoglia ouuẽtione, che ſi debbiano conuertire in neceſſità de miniſtri, & poueri di alcuna Chieſa, ò vero di qualunque beneficio ſecolare, ò regolare, di Monte di

Digitized by Google

di Pietà, ò altri luoghi pij; queſto tale ſottogiaccia all'anathema, cioè alla maledittione,& ſcommunicatione maggiore,ſin tanto,che haurà intieramẽte reſtituito alla Chieſa,e ſuo miniſtratore,ò beneficiato le giuridittioni,beni,robbe, ragioni,frutti,& rendite,le quali haurà occupato, ò vero in qualſiuoglia modo,anco p̃ donatione di ſuppoſita pſona gli ſarãno peruenute nelle mani,& dipoi haurà ottenuta l'aſſolutione dal Santiſſimo S. Noſtro Pontefice Romano; & ſe ſarà padrone della medeſma Chieſa,ſia ſubito oltre all'altre pene, priuo anco di iuſpatronato, & il Chierico, che ſarà ſtato fabricatore di queſto ſcelerato inganno; & di tale vſurpatione, ò ne ſarà ſtato cõſentiente,ſottogiaccia alle medeſme pene, & di più reſti priuato di ogni ſorte di beneficio , & ſia fatto inhabile à qualũque altro beneficio,& anco dopò la intiera ſodisfatione, & aſſolutione ſi ſuſpenda di ſuoi ordini ad arbitrio del ſuo Ordinario.

Parte della Bolla in Cœna Domini

SCommunicamo ancora, & anathematizamo quelli, che vſurpano, ò ſottraeno le giuriſdittioni, ò frutti rendite, & prouenti appartenenti à perſone Eccleſiaſtiche; per ragione di Chieſe, monaſterij, ò altri beneficij Eccleſiaſtici per loro ottenute, ò vero per qualſiuoglia occaſione, ò cauſa ſenza eſpreſſa licenza del Pōtefice Romano le ſequeſtrano, ò vero ſenza ſimile ſpetiale, & eſpreſſa licentia del Pontefice Romano impongono collette, decime, taglie, preſtāze, & altri peſi alli Chierici, Prelati, & altre perſone Eccleſiaſtiche, ò à i loro beni, ò delle Chieſe, Monaſterij, & altri beneficij Eccleſiaſtici, & à frutti, renditi, & prouenti di quelle, & con diuerſi eſquiſiti modi le riſcoteno, ò vero le accettano da chi glie le dà, & concede ſpontaneamente.

Digitized by Google

De Bonorum Eccleſiæ locationibus.

EA fuit,& eſt hominum malitia ſuper occupatione bonorum Eccleſiæ, auxilio Dominorum, & iudicum Laycorum plerumq. fultorum, vt meritò bo: me: Iacobus Cardinalis Sabellus in ſuis Synodalibus conſtitutionibus huic morbo iuxta Tridentini decreta occurrerit; cũq. impia hæc cupiditas ad huc perduret; ſtatuendum duximus, vt beneficiati quicumq. hæc etiam ſeruent.

Nullam deinceps faciant Eccleſiaſticorum bonorum, etiam per annum locationem, niſi ſuper ea confecto inſtrumento: per triennium, niſi noſtro habito aſſenſu:per longum tempus,niſi habito aſſenſu Sanctiſſimi D. N. Pontificis, cum iſta ſemper clauſula,vt finito tempore locationis res cum melioramentis in dominiumEccleſiæ redeat, ipſo iure, abſq. iudicis auxilio, & remota quacunq. exceptione

cum expreſſa renũciatione omnibus priuilegijs, ſtatutis,& aliis quibuscũq. iam cõfectis, ſeu poſthàc conficiendis in emphiteutarum fauorem quomodolibet diſponentibus; & inſuper, vt Eccleſiarum indemnitati conſulamus, earũ bona, quãdo in caſibus à iure permiſsis locari contigerit, per publica proclamata, iuxta Apoſtolicæ viſitationis decretum, plùs offerenti locanda eſſe, decernimus; aliàs inualidas, & nullius roboris eſſe declaramus.

De Inuentario Bonorum Eccleſiæ faciendo.

CVM experientia nobis cõſtet, ex negligentia beneficiatorum ſuper Eccleſiarum bonis, multa oriri incõmoda, & damna ipſis Eccleſijs, his præſertim temporibus calamitoſiſſimis, in quibus

impij

Digitized by Google

impij in circuitu ambulant, quærentes, ſi quid occupare, vel vſurpare ſibi poſſint: Abbates, Archipresbyteri, Parochi, & beneficiati omnes, vltrà ea, quæ in Diœceſana, & Prouinciali Synodo à Iacobo Cardinali Sabello Archiepiſcopo ſuper inuentario faciendo ſanctè edita ſunt, inſtrumentum authenticum, etiam afferant ſingulis annis in Synodo SanctiBartolomei, in Archiuio noſtro conſeruãdũ de decimis, vel medijs decimis, & alijs quibuſcumq́. emolumentis, quæ in eorũ oppidis, Eccleſiis quacumq́. ratione ſolui ſolitæ ſint.

De Decimis.

SOLVTIONEM decimarum de iure Diuino, & ſacris ſanctionibus præceptam, nè quis per inſcitiam prætermittat, Parochi prima Dominica poſt Pentecoſ. prima Aduentus, & Quadrageſimæ populum doceãt, quid de ſolutione decimarum Trid. Conc. ſta-

tuit; eoſq. omnes moneant, & hortentur ad debitam decimarum ſolutionem, nè pœnam excommunicationis ab eodem Concilio propoſitam ſubire cogãtur; publicent etiam decreta Prouincialis Synodi Beneuentanæ celebrata anno 1567. ſuper Decimis arbitrarijs, & territorijs, à Baronibus terrarum poſſeſſis, quæ omnia, quatenùs opus eſt, innouamus.

Decreto del Concilio Tridentino ſopra il pagamento delle Decime.

NON deuono eſſere ſopportati coloro, liquali ſi sforzano con diuerſe arti ritenere le Decimi, deuute alle Chieſe, ò vero occupano, & conuertono in vſi proprij quelle, che deuono eſſere pagate ad altri, conciò ſia coſa il pagamento delle Decime ſia douuto à Dio, è quelli, li quali non le vogliono pagare, ò vero impediſcono il pagamento di

to di eſſe, occupano le robbe d'altri. Comanda dunque il SacroConcilio, tutte le perſone di qualunque grado, ò conditione ſe ſiano, alle quali ſi appartiene il pagamẽto delle decime, che per l'auuenire le deuono pagare integramente alle Cathedrali, ò vero à qualunque altre Chieſe, ò vero perſone, alle quali legitimamẽte ſi deuono; & che quelli, li quali le ritengono, ò vero impediſcono il pagamento di eſſe, ſiano ſcomunicati, ne ſi deuono aſſoluere, ſe non dopò, che ſarà ſeguita la plenaria reſtitutione. Eſorta oltre à ciò ogni, & qualunque perſona per carità Chriſtiana, & debito vffitio verſo de loro Veſcoui, ò Rettori, che debbiano delli beni dati loro da Dio, ſouuenire largamẽte à quelli, che ſono poſti alle Chieſe.

Si quid circa Decimarum ſolutionem innouatur, à Colonis, vel à Dominis, ſeu Baronibus, vt plurimùm fit, ſtatim ad nos deferatur.

Decretum Concilij Prouincialis de Decimis.

LICET decimarum ſolutio debita ſit Deo; pluribuſq́. ſacrorum Canonum, & præſertim ſacri Tridentini Cōc. decretis, eas Eccleſijs, quibus debentur, perſoluēdas eſſe ſub excommunicationis pœna mandetur; nihilominùs nonullos huius Prouinciæ adeò eorum ſalutis immemores eſſe audiuimus, diuinarumq́., & humanarum legum contemptores; vt, aut omnino nullas, aut eorum abitrio decimas à ſe ſolui debere contendant: Quò fit, vt quàm plurimæ debitis decimis priuatæ Eccleſiæ, iam vetuſtate collapſæ, ob earum paupertatem minimè reſtaurari poſſint; diuinaq́. in eis officia, eo, quo decet, decoro, & ornatu celebrari; & ſacra vaſa, & neceſſaria paramenta comparari nequeant; Epiſcopique, & alijs, quibus

huiuſmodi decimæ legitimè debentur, non ſolùm Seminariorum Collegia, ſeu ſcholarum Magiſtros,& ſacræ Theologiæ Doctores inſtituere,ſed nè debitã qdẽ rc ſidẽtiam,propter neceſſariorum ad victũ indigentiam,facere poſſint; ipſiq́. dictas decimas ſoluere renitẽtes perpetua damnationis pœna illaqueati exiſtãt. Quare eiuſdem Tridentini Concilij decreto innixi præcipimus omnibus, vt decimas ipſas Eccleſijs, illarumq́. Miniſtris debitas, vt præfertur, non arbitrio, neque aliqua priùs deductione facta, ſed integrè ſub excommunicationis pœna perſoluãt; à qua non niſi debita ſatisfactione ſequuta abſolutionis beneficium valeant obtinere. Ipſum verò Tridentini Concilij, atque hoc noſtrum decretum præcipimus omnibus huius Prouinciæ Parochis, vt ſingulis Quadrageſimæ, & aduentus Dominicis diebus, & alijs temporibus, prout Epiſcopis videbitur, inter Miſſam Laicis publicent; atq́. inter confitendum, de decimarum perſoluenda-

rum debito, conficentes ſæpiſſimè admoneant; quod, & vt prædicatores faciant, Epiſcopi curabunt: moneantq́. præterea populum, quòd anathemati ſubijciũtur, qui, ſeu decimas, ſeu bona quæcumque, & res Eccleſiarum detinent; eumq́. ad reſtitutionem hortentur.

Audiuimus præterea nonnullos huius Prouinciæ Barones, & dominos ſæculares, ſæpe eorum curiæ, & fiſco quorundam ſubditorum poſſeſſiones ob aliquod ab ipſis commiſſum delictum, aut debitum contractum applicare; eoſq́. poſſeſſionũ huiuſmodi ſegetum, fructuumque tunc ſolo adhærentium, & eorum etiam, quæ deinceps in ipſis ſeri, colligique contigerit, recuſare debitas Eccleſijs decimas ſoluere, in Eccleſiarũ pręiudiciũ, & ipſorũ animarũ perniciem. Quare ſub excõmunicationis pœna ipſo facto incurrenda, præcipimus omnibus Baronibus, alijſq́. ſæcularibus dominis, cuiuſcunq́. gradus, & conditionis exiſtant, nè huiuſmodi poſſeſſionum debitas decimas, alioſque

redditus,

redditus,& fructus Eccleſijs, earumque miniſtris debitos occupare, aut detinere quoquomodo præſumant; ſed eos, quibus debentur, omnino dandos, & tribuendos curent.

De Hoſpitalibus, Confraternitatibus, & alijs locis pijs.

QVoniam Hoſpitalium, Confraternitatum, & aliorum piorũ locorum redditus, & prouentus, qui, vt plurimùm fidelium ſunt eleemoſynę, potiùs in ꝓfanos vſus, quàm in pia opera, adminiſtratorum auaritia, & cupiditate conuertuntur, ſæpeq́. cõmeſſationũ, ebrietatum, aut illicitorũ operũ impenſæ ſunt; quarũ occaſione etiam ſibi horum piorũ locorum facultates in priuatos vſus, quod eſt peſſimum aucupium, aſſumunt: adminiſtratores horum ſingulis annis per proprios Parochos, etiam ſub priuatione in-

ne in-

Digitized by Google

ne ingreſſus Eccleſiæ,debitis tamen monitionibus præcedentibus, rationẽ reddere cogantur coram ipſis Parochis; ſi verò aliter in huiuſmodi piorum locorum erectione cautum ſit,tũc iuxtà Trid. ſanctionem procedatur.

Damnatur, quia damnabilis eſt, abuſus, vt in Hoſpitalibus ex priuato affectu Magiſtrorum, aut Magiſtratuum recipiantur validi,& qui habent,vnde viuant, neglectis miſeris, & inopibus; q uapropter,qui id ſæuitiæ, & inhumanitatis admittunt, verè pauperum deprædatores,& illorum ſanguine ſaginati cenſentur. Vnde D. Hieronymus:Qui habent vnde viuant,& ſi quod eſt pauperum,accipiant, ſacrilegium profectò committunt, & per abuſionem talium,iudicium ſibi mandncant, & bibunt.

Vt res horum piorum locorum debito, quo debent,modo,adminiſtrentur;ſtatuimus, vt bona horum locorum, ſi aliqua locanda erunt, publicè ad extinctum candelæ, facta omnibus poteſtate conducendi; tan-

tandemq. plus offerenti locentur; locatioq. huiuſmodi fiat ſeruato tenore decreti noſtri ſuper locationibus bonorum Eccleſiæ.

Adminiſtratores ſeu Priores eſſe non poſſint horũ locorum, qui his locis debitores aliquo modo ſint, maximè verò ſi ex adminiſtratione.

Parochi curabunt, vt vbi Hoſpitalitas ſeruanda eſt, ſeruetur, & ſacramenta ibi manentibus adminiſtrentur.

Nouas Cõfraternitates erigi, ſine noſtro cõſenſu, & formula erigendi, gradis concedenda, deinceps prohibemus; erectæ verò infra duos menſes poſt præſentium publicationẽ nobis earum capitula præſentare debeant, vt ſi qua ſacris Canonibus fuerint cõtraria, reſecari curemus.

De Sepulturis.

CVM immoderata cupiditas aliquorũ Religioſorũ aliquoties negotiũ dederit ſuper efferendis mortuis in eorum

eorum Eccleſias, non ſine populi ſcandalo, mandamus, vt nullo pacto mortui efferantur à domibus, niſi præſente Parocho, vel alio eius nomine, qui accedens cum ſuperpelliceo, & ſtola, cadauer aqua benedicta aſpergat, & ſi aliò, quàm ad Parochialem Eccleſiam deferēdum erit, cum ventum eſt ad portas Eccleſiæ, vbi erit ſepeliendum, Parochus facta confeſſione, verſus ad Populum, illum benedicat; neq. ex hoc emolumentum diminutum Parocho intelligatur, ſed totum id rite perſoluatur, quod pia conſuetudine introductum, & à noſtris prædeceſſoribus, & à nobis eſt permiſſum in Ciuitate, & tota Diœceſi; ſed Rectores Eccleſiarum, & Religioſi quicunq., cum in eorū Eccleſias cadauera ſepeliētur, culcitras, alioſq. pannos, quibus cadauer inuoluitur, contra hęredum voluntatem minimè ſibi accipiant.

Cadauer efferri, aut ſepulturæ, mandari antè ſolis ortum, vel poſt occaſum ſine noſtra licentia prohibemus.

In ef-

In efferendis cadaueribus, longi viarum circuitus euitētur, ſed breuiori via eatur ad ſepulturam,& cumEccleſia longè diſtat, & extra habitata exire contigerit, per vias publicas iri ſtudeatur, nè præiudicium ſibi putent fieri, qui falsò credũt, quà funus prodit, publicam viam omnibus fieri.

Sacerdotes mortui, ſacris veſtibus induti, efferantur cum calice, & patena ſupra pectus,cum alba ſepeliantur, vt quibus veſtibus,dum viuebant à cæteris dignoſcebantur, in Eccleſia etiam mortui diſtinguantur.

Miſerabiles perſonæ à Parocho ſumptibus Eccleſiæ ſepeliantur,eiſq́. de ſuis candelis apponat, neq́. in eo pietatis officio tardus ſit.

Pro mortuorum anniuerſario paciſci, vt tãtùm ſoluatur,nè liceat;Parochialia tamē iura, & quæ debentur altari inſeruienti, petere poſſint.

Pia legata Parochi, ſi ad eos ſpectabit exigant, & legantium voluntates executioni demandent. Sepul-

Sepulchra quorumvis excelſo loco in Eccleſijs nè collocentur, ſed æquata ſint humi.

Epitaphia, quæ aliquando minus decentia ſunt, in ſepulchro ſcribenda, vel ſculpenda nobis, vel Vicario, aut Auditori noſtro præmonſtrentur.

Crucis ſignum nullo pacto, in terra pingere, vel ſculpere liceat, nè conculcetur, nobils Victoris trophæũ, prout in ſexta Conſtãtinopolitana Synodo cautum eſt.

De Cœmiterijs.

CVRENT Parochi, vt Cœmiteria, vbi ſunt, tanquàm loca religioſa benè vndiq. ſepta ſint illorumq. ingreſſus benè clauſos, nè beſtię introire valeãt; in medio ſit Crux firmiter erecta.

De Si-

Digitized by Google

De Simonia.

CVM multorum malorum causa ſit ignorantia, quæ peior erit, ſi circa diuina fuerit; moneant ſæpè Parochi in ſolemnibus feſtis, aut etiam cõcionatores in concionibus, tàm dantes, quàm recipientes aliquid, ob beneficij collationem, vel vocem præſentationis, vel vendentes, aut ementes ius præſentandi, ac talium intermedios, pœnæ excommunicationis, & alijs à iure inflictis ſubiacere.

Quod dantes, vel recipientes beneficia ad confidentiam, vt vocant, in excommunicationem, & alias pœnas, ex conſtitutione Pij IIII. & V. Pontificum Max. ſancitas, incurrant.

Quòd ius patronatus habentibus, tàm Clericis, quàm Sæcularibus, vbi aliquem ad beneficium præſentauerint, non licet in perceptione fructuum ſe ingerere, nec iuſpatronatus vẽditionis titulo, aut alio

quouìs modo trāsferre contra Canonicas ſanctiones; alioquìn ipſo iure, dicto iurepatronatus iuxta Conc. Trid. decretum, priuati erunt.

Conc. Triden. ſeſſ. 25. c. 9.

Vt pracidamus omnem abhominationem ab inſtitutione in Eccleſiaſticis beneficijs, præſenti ſtatuto decernimus, vt quicūq. pollicitationibus, ſeu quibuſcumq. pactionibus vnius, vel plurium fauorem, conciliauerit, vt per eoſdem beneficio ſibi prouideatur, ſeu ad dignitatem qualemcumq. (quatenus ad noſtram diſpoſitionem pertineat) promoueatur, iuxta Canonicas pœnas, benefitio ſic obtento priuetur.

Monemus tamen omnes, beneficia Eccleſiaſtica obtinentes iuxta Decretum Cōc. Trid. vt Hoſpitalitatē, præcipuè in pauperes benignè exercere velint, memores, quòd in his Chriſtus Dominus recipitur, qui æternam eis poſtea retributionem largietur.

De Ex-

De Excommunicatione.

LITERAE excommunicationum, quæ certis monitionibus præcedētibus pro rebus deperditis, vel ſubtractis concedi ſolēt, iniūgimus Vicario noſtro Generali, nè pro re vulgari, aut exigua, paruiq́. momenti concedantur. Cum diuina hac cenſura nulla maior ſit in Eccleſia, & gladius excommunicationis maxima circumſpectione ſit exercendus.

Nè concedatur pro re criminoſa, quæ infamiam inducit; pro re non occulta omnino; pro re diù amiſſa, ſeu ſubtracta, vt de ea memoria veriſimiliter iam non habeatur.

Pro aliquo excommunicato, aut notoriè criminoſo, vel infami, reliqua piæ dſcretioni ipſius relinquimus.

Nè concedatur à die Dominicæ Palmarum, vſq. ad octauam Paſchæ, & aliter conceſſæ tali tempore nè publicentur.

Digitized by Google

Infulminatione, vt vocant, ipſarum,nihil lucri temporalis Parochi accipient, nec promulgent per loca publiça,ac plateas, nec maledicta quædam,et minùs decentia verba, cūm abuſus maximus ſit,proferant.

Fulminentur aūt debitis monitionibus pręcedentibus à ſacerdote ſuperpelliceo ſtolaq́ue induto in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia;poſt verò,vt omnibus patere poſſit,illius exemplum in Eccleſiæ foribus, & alijs locis publicis affigatur.

Excommunicatos ſæpe in Eccleſia publicandos.

QVOD aliàs in Synodo ꝓuinciali Beneuent. fieri decretū eſt, vt excomunicatos proprius Parochus ſingulis Dominicis dieb⁹,publicet populo, &, ab omnibus vitandos eſſe doceat, eorumq́.nomina in libro ſcripta habeat,

id

id nè omittatur mandamus; ſed ſi aliqua iuſta cauſa omittere proprio Parocho videbitur, per alios vicinos Parochos, nè pretermittatur; cumq́. tales abſoluti fuerint, etiam populo denuncietur, & in libro notentur iuxta notulam excommunicationis.

De indulgentijs.

